

Ann. III.

Num. XIV.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 $\frac{1}{2}$.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Apud BURNS AND OATES

ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

IN ANGLIA

LONDON W. — 28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.

Apud COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.

IN CANADA

ET NEWFOUNDLAND

NEW YORK,

143 w 95th St.

NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.

IN BELGICA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

LUGDUNI

Rue Victor Hugo, 5

LUTETIAE PARISIORUM

LIBRAIRIE VIC ET AMAT
CHARLES AMAT SUCC.

IN GALLIA

Rue Cassette, II.

INSULIS (LILLE)

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

IN HUNGARIA

C. B. LIFTAY, CORRESP. DE HONGRIE
BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

INDICTO LITTERARUM CERTAMINI ADDITI DIES
De EUROPAE GENTIBUS FOEDERE IUNGENDIS
De CAPILLORUM ET BARBAE USU APUD ROMANOS
Ex GALLIA — De omnium rerum Expositionibus deque hodierna Parisiensi
De SINAE ET IAPONIAE INCOLIS
De SALTUS POLONORUM ORIGINE QUI DICITUR "MAZUR",
CARMEN PUELLARE — Melodia popularis Polonorum sive "Mazur",
"ZINGARI,, QUI DICUNTUR
Salvatoris ROSAE TABULA CATILINAE CONIURATIONEM REFERENS
IOANNES GUTENBERG
LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATITATE
SAPIENTUM INVENTA
HORAE SUBSECIVAE — Ignes arte facti in monte Pincio.
Ferdinando com. Capponio Pisanorum archiepiscopo ob eius re-			
cuper. e gravi morbo valetudinem an. MCM
COMMUNIA VITAE — Propriae quibusdam quadrupedibus voces
ANNALES
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS
LIBRORUM RECENSIO
AENIGMATA

In tercia operculi pagina:

PER ORBEM
VARIA: Manufacti lapides — Quam diu liceat carere somno volentibus —			
Loci

Vox Urbis.

P. Rossani.

A. Bartoli.

A. Vieillot.

T. Paci.

I. Wabner.

S. Noskowski.

Hersilus.

Laelius.

A. Costaggini.

P. Angelini.

M. Lani.

B. Nelli.

I. Battanius.

H. D. V. Pieralice.

Poplicola.

Scriba.

I. F.

Digamma.

Viator.

P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCCC

COMMENTARI RECENS DONO ACCEPTI

L' amico della gioventù. Singulis hebdomadis prodit Veronae.

Atene e Roma. Commentarius cura Italae Societatis ad litterarum studia vulganda editus Florentiae-Rome.

L' Ateneo. De litteris et bonis artibus commentarius. Singulis hebdomadis prodit Florentiae.

Atti dell' Accademia Properziana del Subasio. Assisi.

Bollettino del museo civico di Padova.

Conventus alter de Archaeologia Christiana Romae habendus. Commentarius authenticus. (N. 5).

Cosmos Catholicus. Commentarius menstruum. Romae.

La Croce. Singulis hebdomadis prodit Neapoli.

Divus Thomas. Comimentarius inserviens Academis et Lyceis scholasticam doctrinam sectantibus. Placentiae.

Emporium. Recensio menstrua litterarum et artium. Bergomi.

Index rerum fasciculi mense Junio 1900 editi: Artisti contemporanei: Ettore Ferrari (*P. Orano*) - Arte retrospettiva: I ritratti di Isabella d'Este (*A. Luzio*) - Gli scultori Embriachi (*P. Molmenti*) - Storia contemporanea: La marina francese (*Yack La Bolina*) - La villa Catena e i Monti Sabini (*X*) - Enrico Butti e il monumento di Legnano (*G. Cattori*) - Miscellanea.

Ephemerides Liturgicae. Singulis mensibus Romae prodeunt cura Congr. Vincentianae.

Giornale Arcadico di scienze, lettere ed arti. Romae.

La Madonna dei bambini. Catinae.

Il Marzocco. De litteris et artibus commentarius. Florentiae.

Index rerum an. V, n. 27: L' archicenobio Olivetano (*A. Conti*) - A proposito dell' educazione femminile (*R. Mariano*) - Scherme Tolstoiane (*A. Loria*) - Il Savonarola e la critica tedesca (*G. Lipparini*) - Lungo l' Aspropotamo (*T. Giordani*) - Marginalia - Notizie - Bibliografie.

Minerva. Recensionum recensio, moderatore Friderico Garlanda. Romae.

Singulis dominicis diebus prodit, scripta maximi momenti, que sive in praecipuis commentariis, sive in libris vulgaruntur, accuratissime referens.

Index rerum an. X, vol. XX, n. 4: L' avvenire di Cecil Rhodes (*The North American Review*) - Il cavo transpacifico (*Die Nation*) - L' etica nel marxismo (*Preussische Jahrbücher*) - Victor Hugo: La lingua, lo stile, l' immagine (*Revue des cours et conférences*) - Che è avvenuto dell' inferno? (*The North American Review*) - Un progetto di ferrovia alla vetta del monte Bianco (*Revue scientifique*) - Sommari: Riviste tedesche - Da una settimana all' altra - Spigolature - Nel mondo delle arti belle (*V. Pica*) - Fra libri vecchi e nuovi - Varietà scientifiche (*Dott. Antonio*) - Rassegna settimanale della stampa.

Nuntius Romanus. Romae.

L' Oriente Serafico. Commentarius editus cura fr. Minorum S. Mariae Angelorum ad Assisium.

L' Osservatore Cattolico. Diarium Mediolanense.

La Ricreazione. Commentarius bis in mense editus Tergeste.

Rivista Internazionale di scienze sociali e discipline ausiliarie. Semel in mense prodit Romae.

Rivista politica e letteraria. Semel in mense prodit Romae.

Rivista di storia antica e scienze affini. Messanae.

Index rerum an. V, fasc. 1: Saxum Tarpeum (*E. Pais*) - Campano Etruschi (*F. von Dubn*) - Frammenti epigrafici siciliani (*P. Orsi*) - Epigraphica (*V. Strazzulla*) - Le tavole finanziarie di Tauromenio (*G. Rizzo*) - Origine e governo delle provincie africane sotto l' impero da Augusto a Diocleziano (*L. Cantarelli*) - La Stele arcaica del foro Romano: Cronaca della discussione gennaio-aprile 1900 (*G. Tropea*) - Recensioni - Notizie - Spoglio di periodici.

Il Santuario di Caravaggio. Caravagii ad Bergomum.

La scuola secondaria italiana. Singulis hebdomadis prodit Mediolani.

Valle di Pompei. Commentarius editus ad solum puerorum, qui, cum parentes habeant in vincula coniectos, hospitio ad Pompeios accepti sunt.

La vera Roma. Singulis hebdomadis prodit Romae.

La Vita internazionale. Bis in mense prodit Mediolani.

Index rerum an. III, n. 12: Il secolo decimonono in Italia (*C. Tavaroni*) - A proposito di patriottismo (*Dolara e Moneta*) - Il patriottismo europeo (*G. Novicow*) - Nord e Sud (*A. Loria*) - L' Italia all' Esposizione di Parigi (*D. Rosetti*) - Le piccole scene: Effetto di musica (*C. Giorgieri-Conti*) - Il monumento in ricordo della battaglia di Legnano (*A. De Carlo*) - I soldati mietitori (*F. Papafava*) - Dulcia otia ruris (*M. Pilo*) - Alla libertà: Poesia (*Addle Galli*) - I poemetti di Giovanni Pascoli (*E. Zoccoli*) - Letteratura tedesca (*Doris*) - Note scientifiche (*A. Crespi*) - Note politico sociali - Tra libri e riviste - La caricatura internazionale.

Vita Nova. Ephemeris, cura Societatis iuvenum athenaeorum studiis vacantium. Neapoli.

Index rerum an. IV, fasc. 13: Le condizioni attuali del Romano Pontefice (*D. G. Cantagalli*) - Gl' infortuni sul lavoro e la legislazione italiana (*T. Sacchi-Lodispoto*) - La genesi dei mondi (*E. Errichelli*) - L' indirizzo della cultura e le fonti della educazione (*V. D'Angelo*) - Varietà - Rivista della stampa, etc.

Vittoria Colonna. Commentarius ad Italas mulieres. Bis in mense prodit Neapoli.

Studien und Mittheilungen. Reigen.

Obnova. V. Hradci Králové.

Vlast. V. Praze.

L' Association Catholique. Revue mensuelle des questions sociales et ouvrières. Lutetiae Parisiorum.

Index rerum num. mense Junio editi: Le mouvement syndical et les catholiques sociaux (*Abbé Lemire*) - La protection internationale du travail (*Max Turmann*) - Les initiateurs de la réforme chrétienne et de la paix sociale en Europe: Le docteur Rodolphe Meyer (*C. Reichenbach*) - Le mouvement social et économique en France (*Henri Sauveterre*) - Le mouvement social en Allemagne: Le travail des femmes (*H. Cetty*) - La jeunesse catholique en Europe (*A. Doal*) - La fête corporative du livre: Discours de Mgr Péchenard (X***) - Le referendum suisse sur la loi d' assurance contre la maladie et les accidents (*H. S.*) - Chronique bibliographique.

Suppléments de la Revue: - A) « Le pain », revue des questions sociales féminines: Les publications de femmes chrétiennes en France (*P. Vigneron*) - Chronique - B) Conférences préparées: 1. Enseignement social et religieux - 2. Conférences avec projections.

La Papauté et les Peuples. Revue internationale des sciences sociales, d'histoire et de droit public chrétien. Lutetiae Parisiorum.

Index rerum an. I, vol. I, n. 3: Vers l' unité (*Le card. Richard*) - Le xix^e siècle et la suprême autorité des Papes (*J. C. C.*) - Les relations diplomatiques entre le Saint-Siège et la Russie (*C. Adams*) - Un nonce du Saint-Siège en France à la fin du xix^e siècle: S. E Mr Lorenzelli (*Jos. C. Cortis*) - Cour de Rome, etc.

La petite Revue Internationale. Singulis hebdomadis prodit Lutetiae Parisiorum.

Index rerum an. IV, n. 6: La patrie espagnole (*Madame Rattazzi*) - L' Espagne à l' Exposition (*Baron Stock*) - L' art à l'étranger: John Ruskin (*L. Dowliac*) - Le vieux taureau, poésie (*F. Bataille*) - Le mouvement historique et littéraire (*E. Asse*) - Le coffret aux lettres, roman (*P. Audebrand*).

Bulletin Bibliographique internat. Bruxelles
Revue Bibliographique Belge. Bruxelles.
Revue Neo-Scolastique. Lovanii.

Boletin-Revista de la juventud católica de Valencia.

La Crux. Madriti.

El Eco Franciscano. Santiago.

Revista Católica de las cuestiones sociales. Madrid.

Revista crítica de historia y literatura españolas, portuguesas, é hispano-americanas. Madriti.

Revista Ecclesiástica. Valdoleti.

La Semana Católica. Madriti.

Amerikanski Slovenec. Tower.

L'Artisan. Revue mutualiste. Montreal (Canada).

La Semaine religieuse. Québec.

El Católico. Santiago de Cuba.

Der Herald des Gimbens. St. Luis Mo.

Diario de Centro America. Guatemala.

Johns Hopkins. University Circulars. Baltimore.

Katholischer Mesten. Dubuque.

The Messenger of the Sacred Heart. Neo-Eboraci (U. S. A.).

Niagara Index. Niagara University. N. Y.

Revue Ecclésiastique. Valleyfield in Canada.

The Review. Singulis hebdomadis editur Saint-Louis M. (U. S. A.).

The Rosary Magazine. Patrum a S. Dominico praeconium menstruum. Somerset (Ohio U. S. A.).

The Church Progress. St. Luis Mo.

The Tidings. Los Angeles, Cal.

Le Messager de Tahiti.

Our Alma Mater. St. Ignatius College. River-view, Sydney.

I-wen-lou et Revue scientifique. Zi-hai = Shang-hai.

In I
Lib.

INDICTO

UT mor
simis
runt, ut litte
duceremus,
constituimus
temporis spa
aucturum, m
mentum et g

Itaque, ac
tatem, certan

I. Duo arg
soluta oratio
inter imperiu
sianae gentis
Christus vita
hexametris ve
cui proposita
aerumnae et g

II. In solu
reus nummus
quod in com
nummus argen
centum.

III. Qui p
miis iisdem d

IV. Opus
spicuo ac pe

V. Soluta
quantum de
continere pos

VI. Script
commentariu
dispendio inn
sed, in front
batur, addatu
eundem ver
habeat nome

VII. Sing
induces, qui c
collatis consi
deantur.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PREMIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italianum:
Lib. 15. M. 12. Sch. 12. Doll. 2. Bubl. 6. Eler. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE Via Alessandrina 85

INDICTO LITTERARUM CERTAMINI
ADDITI DIES

Ut morem sociis gereremus, qui humanissimis epistolis iterum iterumque postularunt, ut litterarum certamini diem dictam produceremus, ad idus **Novembres** rem trahere constituimus, id etiam pro certo habentes, latius temporis spatium petitorum quoque numerum aucturum, magisque ad ipsius certaminis momentum et gravitatem collaturum.

Itaque, ad novorum praesertim sociorum utilitatem, certaminis conditions iterum subiicimus:

I. Duo argumenta tractanda exhibentur; alterum soluta oratione ex historia, *quae aliquid narret actum inter imperium Constantini Magni, et ultimum christiana gentis conatum ad recuperandas regiones, quas Christus vita sua et morte sacravit*; alterum, carmine hexametris versibus, ad modum Horatiani sermonis, cui proposita haec res sit: *Litteratorum hominum aerumnae et gaudia.*

II. In soluta oratione praemia constituuntur *aureus nummus* ei qui primas tulerit, suique operis, quod in commentario edetur, exemplaria centum; *nummus argenteus* qui secundas, itemque exemplaria centum.

III. Qui princeps in poesi fuerit iudicatus praemii iisdem donabitur.

IV. Opus latino sermone conficiatur, eoque perspicuo ac perpolito.

V. Solutae orationi spatii tantum conceditur, quantum decem fere paginae nostri commentarii continere possint.

VI. Scriptum ubi fuerit absolutum ad *Vox Urbis* commentarium (Roma, via Alessandrina, 87), quovis dispendio immune, mittatur nullo obsignato nomine; sed, in fronte voluminis, versus aut sententia scribatur, addaturque epistolaris theca, quae exterius eundem versum aut sententiam preeferat; intus habeat nomen scriptoris inclusum.

VII. Singulis scriptis probandis tres addicentur iudices, qui de unoquoque sententiam ferent: iidem collatis consiliis iudicabunt, quae digna praemio videantur.

DE EUROPAE GENTIBUS FOEDERE IUNGENDIS

PERLEGISSE me hoc ipso in commentario non nulla memini de futuro quod Angli pararent suarum coloniarum foedere. Quae si fortuna prospera perfici dederit, imperium anglico sermone, origine, moribus ubique per mundum patens eo magnitudinis divitiarumque deveniet, quo plane nec Romani quidem patres in antiquitate progressi sunt, neque nostris diebus Russorum aut Sinensium maxima regna evecta. Quapropter haec brevi veteris novique orbis terras et maria, bina monstra sibi divident, Anglicula marina orca, Russusque elephas, prouti Bismarckius ille princeps lepide olim dictitavit; ex iisque non semel perpensis atque praenunciatis enasci heic vel illic spes atque desideria visa sunt, quae cællidissimi rerum publicarum moderatores accurate prospicere non renuerunt, et humanae historiae atque societatis philosophi undequaque considerata oculis subiecere. Sed incepta huiusmodi hoc unum, ex communi sententia, requirunt, ut Anglicæ atque Russicae insolentiae, Americanis, ultimæ Iaponiae, et forte Sinensium etiam futuris conatibus, indictio veteris Europæ foedere, mature caveamus.

*

Ecquod autem foedus? Americanum forsan septemtrionale imitans? Omnia hominum, qui futura prospicere arbitrantur, una eademque fere responsio est: non aliter coalescere paulatim, atque sanciri deinde foedus hoc maximum posse, quam libera cuiusque nationis persona, et ea soluta quam maxime, etsi certis legibus germanis gentibus devincta. Quae enim ex ipsa populorum origine, ex historiae gestis, ex sermonis, litterarumve varietate veteris Europae populos secernunt, ea tot tantaque sunt, ut nullum forte aevum memoria deleat, tanta saeculorum vestigia prorsus abradens, atque uni eidemque Gallos, et Germanos. Italos atque Hungaros. Iberos. Graecos.

cosque indoli, moribus, voluntatique reducat.
Inde itaque nullam possibilem praevident legum, aut sermonis, publici regiminis, aut clas- sium vel exercituum similitudinem vel communio- nem, sed omnia, prout fert cuiusque populi ingenium, intacta relinquunt oportere. Eamdem in suis coloniis moderandis libertatem servandam, eamdem in internis negotiis gerundis, nulla censoria potestate constituta, quae plenum singulorum imperium domi minuat.

Planum est enim non alia de causa foedus hoc ineundum, quam ut actuosam nostrum progeniem eiusque operae fructus, sive camporum, sive officinarum, quibus et alimur et vitam du- cimus, ab irrefrenata hac exterarum gentium aemulatione, quae ex Anglicis coloniis, ex America et ex ultima quoque Iaponia, nostras regiones minitatur, valide tueamur. Deinde autem ut ae- quorea itinera, Anglicis classibus ubique persul- cata, nostris commerciis commutandis omnino non paecludantur, utque ex adverso immanibus Russorum exercitibus, qui immatura adhuc illius gentis iuventute Germanos et Hungaros et Grae- cos finitimos premunt, coactis viribus obsistamus.

*

Periculum enim utraque ex parte aequum manere credimus; idque pace Anatolii Leroy-Beaulieu, clarissimi viri, cuius dissertatione, ad rem nuper in commentario *Revue des Revues* gallice evulgata, moti sumus, ut pauca haec adnotaremus. Siquidem vir in rerum publicarum disciplina versatus quam maxime, autumat profecto saeculo hoc vigesimo ineunte optime a Gallis cautum, ut consilia viresque cum Russis communicarent, idque non sine quadam fatorum divinatione. — Russos ad opera et vires suas augenda atque roboranda pecuniam defecisse hactenus diuque in posterum defecturam concedimus; at quid inde? Cum nobis omnibus, Gallisque praecipue, auxilium ferentibus haec illi exercuerint atque perfecerint, immensa populi multitudo veterum gentium fines urgebit, quam forte, nostra praeripiendi cupientem, vix coactis viribus repellemus. Quod quidem non sine supremo proiectae totius humanitatis nostrae periculo appropinquat; quamvis enim lectissima virorum ingenia atque absolutis numeris exculta passim iam per Moscovitarum imperium multiplicentur, multum abest tamen quin de maxima eius populorum parte idem praedicare possimus.

* *

Properet itaque auspicata haec dies, quia
nostrum erit coetus senatusque ex Europae gen-
tibus delectos videre, atque firmiter constitutos,
qui nostrum omnium fata moderentur. Quo in
maximo totius veteris historiae atque humani-
tatis foedere, etsi aliquanto solutius quam Ame-
ricanae nordicae civitates erimus coniuncti, atque,
Germanorum foederis instar prouti ante recens
conditum imperium stetit, potius coiverimus,
utilitatem tamen et iuvamina inopinata viriū
experiemur; immo postremam Europae salutem
tuebimur, atque immortalia eius fata.

P. ROSSANI.

DE CAPILLORUM ET BARBAE USU
APUD ROMANOS

MULTIS iisque, pro eo quod haud sanae plerumque mentis ab ira profiscantur, vehementissimis bonas litteras atque artes querimoniis, paucis abhinc annis, tum patresfamilias cum discipuli prosequuntur: alteri quidem quod, nimis liberis cupientes, causam malunt in studiorum difficultatem conferre quam in illam, qua iuvenes propemodum omnes carent, diligentiam; alteri quod cuique se recreand rationi libris posthabitis, cum parum rem procedere videant, nullusque se aeris in studia adeunda a parente conlati fructus sentiant percepturos, magistrorum nimiam incessum severitatem, et quae mortui sermonis ut ediscant frustra contendunt, ad vitam cultumque adfirmant omnia prorsus esse inutilia.

Ad hoc quo minus in litteris discipuli proficiant ipsa, aut ego fallor, rerum congeries obstat ita inter se dissidentium, ut Ovidianum chaos quadam referant specie, *frigida nam pugnant calidis, bumentia siccis*. Atqui notum illud

Pluribus intentus minor est ad singula sensus!

Sed haec alias; nunc romana exemplaria nocturna versemus manu, versemus diurna, ad ea quea cum nostrae aetatis, quamquam latini eloquii incuriosae, moribus congruant, vel saltem sint cogniti utilia, reperienda. Atque ut aliqua de re exponamus, *tonores* in manus nostras veniant.

Quos primum ex Sicilia Romam anno ab Urbe condita *XDLIV* venisse et, quod nemo it infinitas, Licinio Mena adducente, Plinius est auctor (1); itemque ex illo sibi crinem barbamque radendi, ut e pluribus id temporis nummis videre est, morem existisse iam satis constat; contra ea *intonsum* Ovidius (2) alterum a Romulo regem, Iuvenalis (3) sextum *barbatum* facit.

Hoc autem animadvertisendum censeo: cum vultus primam lanuginem iuvenes sibi resecarent, ea lege ut diis offerent (4), tum non novacula, sed forfices adhiberi verbum in Iuvenalis versu illo insigni nos vult admonitos:

Quo tondere gravis iuveni mibi barba sonabat (5), quippe cultro tonsorio viri tantum, fere quadraginta annos nati, uterentur. Scriptum enim apud Gellium videmus (6), nobilissimum quemque, vivente iam tum Scipione Aemiliano, etsi nondum adulescentiam evaserant, quo ceteris lauiores viderentur, novaculae adhibuisse: ideo ab illo, quem supra memoravimus poeta, cuiusdam aetas Sergii gladiatoris senescens sic notatur:

*.... iam radere guttur
Cooperat (7).*

Ceterum rudem incultum promissa barba pro missique capilli, ut tunc erat opinio, hominem dabant; et Catonem, eius quidem severitate inspecta, *intonsum* cecinit Horatius (8); vel quam magni documentum moeroris interdum fuerint, nullum est certius indicium quam quod de Caesare, Drusilla mortua, dein clade Tituriana accepta, et de Augusto, amissis Quinctili Vari legionibus, Suetonius memoriae prodidit (9).

Atque ita se illi habebant de quibus in foro res ageretur; quod e Martiale eruimus:

.... nec tibi sit barba reorum (10),

(1) *Hist. nat.* VII, 59. (2) *Fast.* VI, 264. (3) *Sat.* IV, 104. (4) *MARTIALIS Epig.* I, 32; III, 6; *IUVENTALIS* III, 186 et copiose *TOMMASINI, De donariis*, II. (5) X, 26. (6) *Noct. Att.* III, 4. (7) VI, 105. (8) *Carm.* II, 15, 11. (9) *Cai. Caes.* 24 et 67; *Aug.* 23. (10) II, 26.

ac idem e Plinio: « coniectari potest, quia reis moris est submittere capillum, recisos reorum capillos, de pulsi quod imminebat periculi signum fuisse » (1); ut quae de Macro quodam docet Plutarchus in *Vita Ciceronis*, omittamus.

Ne tamen quis doloris notam et capillos aliquando resectos obiciat, scimus hunc morem tenuisse populos, qui plerumque a Romanorum consuetudine abhorrentes intonsi erant; nihil eo secus animi motus affectusque promere sese putabant, si, cum aliquid ingruisset mali, suis ipsorum moribus adversarentur. Tum maxime comas sibi totondisse mulieres compertum habemus, et tonsas eorum, quos penitus dilexisent, tenerae pietatis munus, imposuisse tumulis (2).

At apud Romanos « tondere » et « radere », vel cum de capite legatur, aliud alio spectat; nam « radere » ad Isidis sacerdotes (« grex calvus » ob id ipsum a Iuvenale (3) hi nuncupantur) et ad servos scurras que pertinebat. Itaque Arnobius: « gaudent morionum rasis capitibus ». De servis vero doctos controversia e Plautino loco (4) quodam orta dividit, quam praetereundam, utpote ad rem non necessariam, brevitas monet. Hoc potius innotescat, quo facilis possit intellegi eamdem omnium gentium naturam esse: id temporis adulescentes, qui magis cultui studebant et puellarum praesertim oculos in se conversos vellent, cincinnatos domo prodire, et tonsores in eorum crinibus summa arte comedis totos fuisse. Cuius cultus quantum in laude assecura Hadrianus imperator, homo totus de capsula, elaborarit, ipse docebat, qui ab Aelio Spartiano « forma comitus, flexo ad pectinem capillo » inducitur, ut Posthumum silentio involvam, quem Iuvenalis lepide compellat:

*.... iamque a tonsore magistro
Pectoris (5).*

Quid? nonne in « cineriariorum » aut « cinistorum », qui dicebantur, Catullus (6), Valerius Maximus (7) aliisque complures mentionem incident? quam ad rem, de L. Vero Capitoninus, de Commodo Lampadius, denique de Gallieno Trebellius multa protulerunt.

Serius Romanis placuit promissa barba, quam fertur hoc consilio Hadrianus perstudiose coluisse, « ut vulnera, quae in facie naturalia erant, tegeter »; idque tantum nummi discrimen faciunt inter eum et quoslibet superiorum imperatorum. Illum Aelius Caesar, quem « in spem imperii » ipse vocarat, atque Antoninus Pius sunt imitati; deinde M. Aurelio, L. Vero, Commodo, Pertinaci, Didio Iuliano, Septimio Severo, Albinio, Pescennio, Caracallae, Getae, Macrino, paene ex instituto dixerim, idem mos fuit; sed a Macrino, qui anno CCXXVII post Christum natum decessit, ad principatum delapsum, nusquam imperatores, si quae exstant imagines, barbatos inventias, Pupiunum Julianumque, cui *Apostolae cognitum* inditum, si exceperis, quos novimus prolixa barba usos, ut gravitatem prae se ferrent philosophorum. At vero « barba non facit philosophum »; nam, ut graecum epigramma adducam:

*εἰ τὸ τρίχαινα πόγωνα δοκεῖ σοφίαν περιποιεῖν,
καὶ τράγος εὐπόγων εὔστολός ἐστι Πλάτων.*

Atque hoc pertinere ad illos crediderim qui, seu barbati seu imberbes, latinas litteras autem nime nostrae aetati esse usui.

ALAFRIDUS BARTOLI.

(1) *Epist.* VII, 27. (2) *PROPERTIUS*, I, 17, 21; *OVIDIUS, Met.* III, 505, et *Heroid.* XI, 115. (3) V, 171. (4) *Amphitr.* 305. (5) VI, 26. (6) LXI, 138. (7) *Fact. mem.* II, 1, 5.

EX GALLIA

De omnium rerum expositionibus
deque hodierna Parisiensi.

I.

Mscriptorum spoenderam; fidem praesto; at expositionem potius dicam, quam recognitionem, vel exhibitionem. Quae enim exhibentur venalia non semper sunt; donantur saepe, saepius etiam ambitione ostentantur; quae vero exponuntur donanda nemini, vendenda semper, neque superbiendi, sed lucrandi, sed comparandi, sed perficiendi causa ab artificibus afferuntur, ab hospite civitate convocantur. Ceterum quoniam populus vocem hanc usus civitatem, populus

Quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi, vocem hanc teneamus, atque ad ea significanda, quae iam toto orbi significat, iure optimo, et latinitate consentiente, mecum una consacremus, Marci Tullii Ciceronis praesertim auctoritate freti gravissima, qui « frumentum exponere » idem ac venale facere iudicabat.

Verum haec alios attingunt; nos nostra curemus.

Expositionum huiusmodi initia petere iuvat, quarum utilitatem et gloriam nemo est qui non videat, et quae temporibus nostris quasi vinculum gentium omnium sunt, dum earum causa, veluti si constituerentur induciae, aut bella prorsus arcentur - super sedendo enim consilia pacis ineunt animos -, aut ad alia tempora removentur. Calamitatem autem bellorum tum arcere prorsus, tum removere saltem ad tempus, tantum est, ut dignum Deo penitus hoc iudicem. Quapropter, quum nobis Latino genere ortis gloria stet haec, nos hanc vobiscum ultiro communicamus, neque minus vobiscum quam ceteris, qui sint eodem sanguine creti; principes enim Latinae gentes singulare hoc invenerunt, in medium protulerunt; reliquae probaverunt ac suscepserunt.

Marchio de Aveze anno 1797, tunc opificiis praefectus, quibus et opera et nomina a Gobelins, a Savonnerie et a Sévres, in aedibus Saint-Cloud omnia ostendere decreverat, quae illis in opificiis apparabantur. At quamvis, cum ferveret opus, magistratu iubente, quem *Directorium* vocabant, interdictae, obserataeque aedes, praefectus ipse de Aveze inter proscriptos relatus, et *Expositio* suis in incunabulis suffocata, omniaque sublata penitus viderentur, non excidere ex animis nostris quae bona inde futura contuebamur. Cessimus temporum impotentiae, notavimus rem tamen, atque ad meliores omnia distulimus annos.

Sed neque praeteriere anni, volente populo et imperiosius flagitante. Erat iuxta viam, qua Versalliae petuntur, domus; haec eligitur, haec sufficit, aut saltem sufficere posse putatur. Verum tantus undique concursus fuit adeuntium ac invisere cupientium, ut sequenti anno Napoleon, qui primas consulatum gererat, de moliendo aedificio in Campo Martio cogitarit, et voluerit. Noscitis, quae potenter voluisset, hunc potenter et peregrisse. Eoque ipso tempore, eoque ipso loco quidquid optimum Parisienses officinae et potuissent et scivissent illic expositum, duodecim numismatibus praemio donatum, totidemque publicam solemnemque laudem testantibus et indicibus litteris decoratum.

Mox anno subsequenti (1801), Chaptal reipublicae administratio, in aedibus Louvre altera et concessa et facta *Expositio*; at quidem et amplior et magnificior tum loco, qui regibus dignus, tum exponentium rerumque frequentia - ex omni enim Gallia cuique adeundi et comportandi potestas fuit -, denique

praemiis;
uno argu-
iuxta meri-

Anno
loco Exp-
sed comp-
hominibus
ideo mox,
locata sed
disposita i-
cuplo pra-
profecto n-
ciis, sed e-
praemio, v-
conveneru-

Sed be-
temporis fl-
licarum in-
imperii, qu-
fractae, nu-
quae enim
nomine di-
existimant

Anglia
fausta ac
anno 1831
stallo dictu-
deferente
Septem sup-
runt, resq-
metris circ-

Mora n-
deratae civ-
exemplum.
duobus ab
quam quat-
tores collat-
novati eni-
positionem
quam placu-
nomine, «
nomine fui-
dustres viri
urbem ad u-
et allata co-
sentes cont-
ties centen-
haec ego r-
neque patr-
negotiorum
gentium ad-
urbis ipsius
bant, optim-
contingere
sit, sed ut e-

Anno
anno 1867,
delphia an-
at, videnti-
quas Parisi-
et praesen-
longe omni-
spectatione
vim per in-
adfu inter-
factaque lo-

Crediti
perque sit

praemiis; nam duodecim aurea, ac triginta minus uno argentea numismata constituta distributaque iuxta meritum sunt.

Anno autem saeculi secundo altera eodem in loco Expositio, novaque iussa ac data sunt praemia; sed compertum tunc est angusta, etsi regalia, rebus hominibusque in dies frequentioribus esse loca, atque ideo mox, redeunte anni saeculo sexto, propriis collocata sedibus amplissima Expositio fuit per tablinam disposita ipso in campo, cui ab Invalidis nomen, decuplo praecedenti amplior atque frequentior, et quae profecto nationi par fuit, quippe quia non e proviniciis, sed ex omni fere oppido, allicientibus honore, praemio, varietate, utilitate, et invisentibus et artifices convenerunt.

Sed bellica clangente tuba, et immanibus illius temporis flagrantibus bellis, series Expositionum Gallicarum interrupta resedit, atque ipsa ruina Gallici imperii, quasi armorum vi oppressae et calamitatibus fractae, nullae habitae sunt Parisiis Expositiones; quae enim annis 1819, 1823, 1834, 1840, vix tanto nomine dignae sunt; certe supremae longe impares existimantur ac recensentur.

Anglia erat in speculis, neque in pace nostra illa fausta ac celebria ferebat. Molita aliquid maius anno 1851, palatio Londinii excitato, quod e Crystallo dictum est, omnes orbis gentes accivit, ut illic deferrent exponerentque ea, quae optima confecissent. Septem supra decem millia exposituri res viri affluerunt, resque omnes distributae sunt spatio, quod metris circiter septuaginta millibus in quadro patebat.

Mora non fuit quin Amricae septentrionalis foederatae civitates laudis aemulae exhibutum sequerentur exemplum. Hinc altera « internationalis » Expositio duobus ab Anglica post annis Neo-Eboraci conflatur, quam quatuor millia et centum ac decem expositorum collatis rebus honestaverunt. Parisii autem - renovati enim Napoleonicci imperii affulgebat sidus - Expositionem internationalem anno 1855 sibi vindicabant, quam placuit dicere, tunc primum iusso perpetuum nomine, « universalem », quae quidem vere digna nomine fuit, nam quindecim exponentium millia industres viri res contulerunt, ita porro ut novam fere urbem ad urbem ipsam excitare necesse fuerit, qua et allata continerentur, et commode possent invisentes contenta considerare. Fuere qui dixerint centies centena hominum millia spectatum advenisse; haec ego non ad unguem numerata reor, etsi Gallus, neque patriarcharum insolens laudum. Plures advenere negotiorum causa, nepotandi causa plurimi undique gentium adfuerere, loci opportunitas, viarum commoda, urbis ipsius nomen, cultus, humanitas maxima suadebant, optima pollicebantur. Ceterum dicimus arborem contingere caelum vertice, non quia ad amussim hoc sit, sed ut ex hyperbole quanto praestet intelligatur.

Anno 1862 Londinium iterum, Parisii rursus anno 1867, Vindobona ad Istrum primo 1873, Philadelphia anno 1876, Expositiones huiusmodi civerunt; at, videnti credite, mendaciis, ne ioco quidem, assueto, quas Parisii recens excitaverunt, nuperam anno 1878, et praesentem hanc, cui ipse intersum quotidie, longe omnem superant facultatem dicendi, longe expectationem gentium, longe vel ipsam phantasiae vim per impossibilia libentius equitantem. Non semel adfui inter se colloquentibus et exclamantibus visa factaque longe exsuperare, longe praeverttere et praedicata et expectata. Illud autem vere maximum est, quod mole, quod perfectione sua praedicata et expectata longe praeverit.

Credite, nam locum occupat quantum satis superque sit urbi vastissimae plura centena hominum

millia continent. Lubetne audire in agro et in fronte quid occupet? Decies centena et octoginta metrum millia in quadro, cuius planitiae spatium quingentis et quadraginta metrorum millibus aedificiorum serie premitur, indolem, ingenium singularium gentium, quae convenere, ferentium, ita ut non Parisiis sed ubique terrarum esse te credas. Quod est apud Afros, quod apud Esquimenses, quod Helvetia summa per alpes lacusque, quod per ardentem sole suo Hispaniam, quod Byzantii, quod Petroburgi, quod Americis utrisque, quod Aegyptiis, Indis, Caphris divisum dispersumque est, hic congregatur; at est domus, est palatium, est ager, est silva, est nemus, sunt casae, mapalia, arces, monumenta gentium cum suis redditis herbis, armentis, vestibus, arboribus, et propemodum civibus animantibusque, quibus utuntur, delectantur, fruuntur. Inque haec loca dederunt sua Martius Campus, Trocaderus, *Quai d'Orsay*, *Quai de la Conférence*, platea ad Invalidos, Reginæ via, vicus d'Antin, palatium cui ab Industria nomen, et quot prope sunt agri per iter. Cesserunt omnia Expositioni, cui - vix inde abiit saeculum - domus una, platea Invalidorum, sufficiebat!

Num describens ero perpetuus? Me diu in loco esse indoles non sinit; ceterum iam fines epistolae excessi; sinite igitur et vos uti ego abeam, neque usquam ero nisi in Expositionis locis. Meo lubito abeo, sed vobis ad bonum abibo; scribam quippe frequentius, et quae dicere summatis despero, singulatim enucleando conficiam. Optimum autem primum dabo, quod longe lateque aedificia omnia et artis miracula posita hic antecellit. Macti estis; estote! Vestrum est. Valete.

A. VIEILLOT.

DE SINAE ET IAPONIAE INCOLIS

Non dubito quin horum vastissimae Asiae regnum incolae, ut ex eorum notis naturalibus facile colligi potest, ex magna Turaniorum (Turani) stirpe sint orti, quorum per insignem similitudinem praeferunt, praeter maximam populorum partem Asiae meridiana et septentrionalis, Finni quoque, Magiari et Lapponi. Praecipuae autem naturae notae huius stirpis, quae olim Mongolica dicta est, eae sunt, quae sequuntur: caput plus minus erectum, facies valde lata, *γογόπατε* prominentia, dilatatis amplisque naribus nasus, os magnum, aures perlóngae, supercilia prorsus extensa, oculi fere clausi parvis pupillis, quae cum inhaereant in cavea admodum profunda, oculos eorum paene similes reddit simiarum; rara et brevis barba, potissimum in mento, capillus plerumque niger et subtilis, cutis denique oleagineo colore. Atqui Sinenses et Iaponiae populi nihil aliud sunt quam duo magnae sectiones illius stirpis, quam nuper descriptissimus. Illi quidem plures numero viribusque potentes, alteri vero vi numeroque minores multo iis nobiliores sunt.

Maxima ex parte Sinenses breviori sunt statura quam nostrarum regionum incolae, a quibus etiam differunt naso fere plano, oculis nigris sub fronte latenteribus, ore magno, turgidis labiis, nigro polito que capillo, quem viri nodis vinctum pendentem e summo capite ferunt. Breves habent pedes, quos foeminae magis magisque de industria extenuant, existimantes hoc ad pulcritudinem plurimum conferre.

Tam viri quam foeminae eodem utuntur habitu, qui tantum differt ratione coloris, nigri plerumque illis, coeruleatis, violacei; istis vero rosei, rubri vel viridi, ut placet. Eorum autem cultus habitusque ex

imo quodam constat corporis velamento serico vel xyloino, quo se induunt donec penitus obsoletum factum sit, interiori tunica perstricta et manicis carente, quadam, ut ita dicam, toga lateribus cingulo colligata, bracis sericis vel linteis, altiunculis calceamentis vario confectis texto, capitibus denique tegumento stramenticio vel arundinibus ex India facto, malleolis vel globulis aereis etiam ornato, qui variantur pro cuiusque condicione.

Iaponiae autem incolae Sinensibus haud dispare sunt multis de causis, praesertim habitu oris et corporis, sed magis ad Europaeorum similitudinem accedunt. Praestantissimo sunt ingenio, per insigni industria, ad efficiendum acerrimi, singulari integratae et sinceritate ac maxima in hospites liberalitate; sed nimis ultioni et superbiae indulgent; abhorrent tamen a dolis et latrociniis, ad quae contra valde proni sunt Sinenses. Attamen et ipsi adhuc maxima ex parte idolorum cultui dediti sunt; quod magnam tarditatem et moram affert eorum perfectae atque eleganti institutioni.

T. PACI.

DE SALTUS POLONORUM ORIGINE

QUI DICITUR MAZUR⁽¹⁾

Quae res cum ita se habeat, Polonorum iam saltationis, *Mazur* qui appellatur, originem fontemque exquirere haud est difficile. Si enim et ictum sive *ἀρστη* eius cum antiquorum carminibus conferimus, nihil dubii est, quin *Mazur* ille carmini ionico proximus, atque hoc carmine musicaque eius evocatus esse videatur. Quam choream quo melius cognoscamus, carminis illius schema diligentius nobis est aspiciendum; numero enim eius et ictu rependendo similitudinem carminis et saltationis evidenter fieri posse arbitror. Quod schema ionicum in unico nobis carmine occurrit, quod ab Horatio compositum nobis est asservatum; est autem haec ode 3^a libri *Carminum* I: « Miserorum'st neque amor dare ludum », etc.

Quod igitur schema carminis? Si numeros eius rependimus, totum carmen uno eodemque numero (ionico) cantatum esse clarescit; qui numerus sive pes ex quaternis syllabis constat et quidem binis prioribus brevibus, binis posterioribus longis: - - - ; quae signa si notis musicis mutamus, hae sunt: .

Tum si *ἀρστη* spectamus, longas syllabas et quidem nunc priorem nunc posteriorem, rhythmo et sensu modo hoc, modo illud postulante, aut non nunquam ambas ictu tangendas esse omnibus concedendum puto. Itaque totum schema canendum est ita: , aut: , aut: .

Inde iam memini, qui Polonorum musicam, cantum, saltum ea, quae uno nomine *Mazur* continetur, cognita habet, non assentendum puto, choream illam eundem numerum, eandem *ἀρστη*, *ἐνθμέτη* denique in se continere, quoquo modo schema illud positum arte musica notis subdivisi variatur.

Quodsi et argumentum Horatiani carminis cum cantu Polono conferimus, propinquitas non agnoscit: eroticus sensus inest in illa - erotico imprimis *Mazur* usui est. Adeoque hanc musicam adamarunt Poloni, ut ecclesiastica quoque carmina sollemnia ad eam deducta habeant existantque plurima et pulcherrima, praecipue in Christi nativitatem composita.

Itaque, ut alia recentiora ab aliis antiquis profecta sunt, ita *Mazur* et cantum et musicam et saltum ex ionico emanavisse negari non potest.

(1) Cfr. an. III, n. XII.

Quod quo magis etiam perspicuum fiat, carmen latinum ad hoc a me compositum adiicio, ad polonos modos sive *Mazur* deductum, quod ab illo ionico schemate Horatiano neque numero, neque ictu, neque rhythmo abhorret, et in linguam polonam iisdem modis numeris versum, una eademque musica, instrumento aut voce, cani potest simulque saltari:

CARMEN PUELLARE.

*Quid in aures, puer, ambas
Mibi tritos et ineptos
Canis hymnos et amores
Neque cessas, - gera mores;*

*Quid habes tu, iam animum quo
Et amorem moveas mi?
Neque forma, neque vultu
Capies me sine cultu.
Pius, audax, probus esto
Et iis, quae magna, praesto:
Ita, si vis, mibi plaudas,
Aliter spem male fraudas.*

Cui carmini et melodiam populararem addo, unam ex plurimis, quas musicae nostrae popularis gnarissimus S. Noskowski est modulatus.

Varsaviae Polonorum.

JOSEPHUS WABNER.

“ZINGARI,, QUI DICUNTUR

O RIENTALES Indiae oras multis abhinc saeculis asperum genus hominum incoluerunt, qui a quodam Tzigam, eorum rege, dicti sunt Tzigan, unde postea nomen *Zingari*. Haec gens suapte natura vaga, appetens alieni atque ab omni humanitatis cultu abhorrens, simul ac in Europam anno millesimo quadragesimo decimoseptimo immigravit, suspicionem et timorem omnium animis iniecit, utpote quae barba, nequam, Dei ac religionis inscia haberetur. Ac primum in septentrionalem prodiit Germaniam, ex qua in Moldaviam et Valachiam gradum fecit, ibique florentissimam constituit coloniam, adeo ut tempore centum circiter quinquaginta millia numerarentur Zingarorum. Plurimi ex vagis istis morisque hominibus in omnem ferme Europam sunt propagati; quo factum est ut in Germania *Zigeuner*, in Gallia *Zinganes* vel *Bohémien*, in Hispania *Gitanos*, in Anglia *Gypsies*, ac demum in Italia *Zingari* appellarentur. Pars quae in Angliam est ingressa apud inferas Scotiae oras se recepit, suaequa tribu « Parvam Aegyptum » nomen dedit.

Quamquam perspicere plene perfecte non potest, quae fuerit Zingarorum religio, ex nonnullis tamen historicorum scriptis probabiliter conicitur eos coluisse astra, solem praesertim, atque animorum ex uno in aliud corpus transitionem, quae graeco vocabulo μεταφορας appellatur, ratam habuisse.

Neque putandum est Zingaros religione ac moribus populorum, penes quos vitam egerunt, sensim fuisse imbutos: nam si quem religionis ritum ab hospitalibus populis interdum acceperunt, id tziganae fidei nucleus, ut ita dicam, ac substantiam minime attigit, seu labefactavit. Quare matrimonium Christianorum more contractum tametsi a nonnullis Zingaris in usum sit deductum, nihil tamen valet, si coram eorum antistite seu hierarcha ratum ritu tzigano non fuerit. Quod autem ad baptismatis sacramentum attinet, multo peius se res habet: Zingari enim, ut Avé Lallement et Guido Cora enarrant, suos filios lustrali aqua ter, quater, quinque, vel sexies abluidos curant ad munera eorum captanda, qui infantes e sacro fonte suscipiunt, quique italice patrini nuncupantur. Hos Zingari ex advenis, seu ex hospitalibus seligunt populis, summaque antea diligentia curant, ut de eorum divitiis certiores fiant. Ex quo satis superque eluet baptismatis sacramentum nauci a Zingaris haberi.

Huic igitur populo, qui asperrimi algoris atque aestus ferventissimi patiens est, quique humi rudibus sub tentoriis cubans solo pane et aqua vesci potest, rapinae, ut innuimus, excusiones, defectiones a legibus ac principibus vehementissimaeque cupiditates grata fuerunt, non ita tamen, ut haec cum generoso quodam instinctu saepenumero sociari non possent. Pluries enim insignis eorum virtus, etsi parum disciplinata, non parvo fuit auxilio Scotorum regibus aut ad civilia bella sedanda, aut ad hostes e regni finibus reliquendos. Id clarum perspicuumque est ex testimonio Iacobi V, qui decimoquinto kalendas Martias anno millesimo quingentesimo quadragesimo Ioannem Faa de Scotia optime meritum Parvae Aegypti dominum et comitem solemnri declaravit rescripto, ac postea idem ius eius filio contulit. Exstat insuper litteris Iacobum IV, Scotiae regem, vehementer commendasse Daniae regi Antonium Gagnum, Parvae Aegypti comitem; quod liquido confirmat Zingaros, saepissime iniuria decertantes, pro aequitate interdum propugnasse.

At vero nostris hisce diebus longe aliter, ac

CARMEN PUELLARE

(MELODIA POPULARIS POLONORUM SIVE MAZUR)

Modulatus est SIG. NOSKOWSKI.
Carmen fecit Ios. WABNER.

Allegro. Vivace.

antea, se res
minum comm
praedonibus e
deris atque m
nativas exuis
stitutos. Quo
enim zingari
famularum m
iuvenes autem
dicto, agricult
equos, quae a
piunt, aut in p
men calida p
famulorum op

Quae quo
periore anno
nomen Kirk-
sibi regem cre
ronam solem
quamquam ve
infirmat, proba
test regalis d
haud amplius
esse iterandam

luvat itaq
lemmem istum
ritum, quo p
multitudinem
confluxisse acc
vertendum in
regia stirpe ex
ginem ducat e
Faa, qui a Iaco
diximus, Parvae
blico declaratus
senex sexaginta
ribus et animi
rens, libere vive
garorum mos e
sequutus, atque
ces vendidit, a
data occasione, o
tae militisque vi
vit. Sed duobus
tholm se receper
re fungendo tra

Eius mater,
num millesimum
tium, quo e viv
atque ex eo tem
quum tandem a
mates statuerun
ginae filius et l
tur dignitatem.
Optimates et
exornatusque n
incidentes tard
pompa decorat
subselliis ordin
magni scribae,
silium inivisse i
ptro iure mer
regalis Zingari
propterea que
contrarii habe
tem omnes co
sacer ad caelun
ctatores choro
ambitum ingred
obductus, magn
tistes, idemque

NTUR

bhinc saeculis
uerunt, qui a
sunt Tzigani,
ns suapte na
ni humanitatis
anno millesimo
igravita, suspi
niecit, utpote
nis inscia ha
an prodiit Ger
alachiam gra
tuit coloniam,
uaginta millia
vagis istis mo
Europam sunt
ania Zigeuner,
Ispenia Geta
Italia Zingari
est ingressa
suaeque tribui

que non po
ex nonnullis
ter coniicitur
atque animo
que graeco
n habuisse.
gione ac mo
erunt, sensim
ritum ab ho
id tziganae
tiam minime
nonum Chri
nonnullis Zin
nen valet, si
ntum rito tzi
smatis sacra
bet: Zingari
ra enarrant,
inquiries, vel
m captanda,
uique italice
venis, seu ex
e antea dili
ctiores fiant.
is sacramen

lgoris atque
umi rudibus
vesci potest,
ctiones a le
cupiditates
m generoso
on possent.
parum di
um regibus
tes e regni
nque est ex
o kalendas
adragesimo
um Parvae
i declaravit
ontulit. Ex
egem, vehe
nium Gagi
quido con
stantes, pro
e aliter, ac

antea, se res habent: progressu enim civilis hominum communitatibus intestinis bellis ordinatisque praedonibus exterminatis, Zingari nullius sunt ponderis atque momenti, ipsique sentiunt se paulatim nativas exuisse virtutes, novisque moribus esse institutos. Quod fit mixtis praesertim connubib: nunc enim zingaricae puellae apud locupletes familias famularum munere fungi despectui minime habent; iuvenes autem vage moroseque vivendi rationi vale dicto, agriculturae vel artibus in officinis vacant, aut equos, quae aurigarum peritia est, ducentos suscipiunt, aut in popinis termopolisque, quibus dat nomen calida potio ex arabibus fabis tostis ac tritis, famulorum operam praestare student.

Quae cum sint, mirabitur quis Zingaros superiore anno in quadam Inferae Scotiae pago, cui nomen Kirk-Yetholm, Carolum Faa sibi regem creasse, eique regiam coronam solemni impositione ritu. Id quamquam verum, que diximus non infirmat, probabilique iudicio asseri potest regalis diadematis impositionem haud amplius in posterum a Zingaris esse iterandam.

Iuvat itaque paucis persequi solemnum istum euodemque ridiculum ritum, quo permagnam advenarum multitudinem undique Kirk-Yetholm confluxisse accepimus. Atque animadvertisse in primis Carolum Faa regia stirpe exortum esse, quum originem ducat ex celebri illo Ioanne Faa, qui a Iacobo V Scotiae rege, ut diximus, Parvae Aegypti dominus publico declaratus est documento. Hic senex sexaginta novem annorum, viribus et animi et corporis adhuc florens, libere vivendi rationem, qui Zingarorum mos est, ab adolescentia est sequutus, atque huc illuc vagando merces vendidit, agricolis saepe saepius, data occasione, operam praestitit, et nauiae militisque vitam agere non dubitavit. Sed duabus abhinc annis Kirk-Yetholm se receperat, ubi cauponis mune re fungendo tranquillos exigebat dies.

Eius mater, nomine Esther Faa Blythe, ad annum millesimum octingentesimum octogesimum tertium, quo e vivis excessit, in Zingaros est dominata, atque ex eo tempore parva tribus regio caruit duce, quum tandem aestate superioris anni zingarici optimates statuerunt, ut Carolus Faa, vita functae reginae filius et legitimus heres, ad regiam extollere tur dignitatem. Quod hoc modo factum accepimus. Optimates et magnus scriba rubra induitus veste exornatusque mastruca una cum frequenti populo incidentes tardiore gradu septum quoddam magna pompa decoratum ingrediuntur, rudibusque sedent subselliis ordinate instructis. Tunc feciales, iussu magni scribæ, elata declarant voce optimates consilium inivisse regem nominandi Carolum Faa scipio iure merito dignum, ut antiquissimi atque regalis Zingarici populi disperditionem vitarent, propterea que adstantibus praecipitur, ut si quid contrarii habeant, publice patefaciant. Quum autem omnes conticescant, continuo ab optimatibus sacer ad caelum tollitur cantus, atque omnes spectatores choro efficiunt concentum: fusis precibus, ambitum ingreditur, pelliceo, ut mos est, cincticulo obductus, magnus Parvae Aegypti hereditarius antistes, idemque ferrarius pagi faber, a quo Carolus

Faa purpurea iam veste induitus, lentoque incessu ipsum sequens, regali diademate est iure meritoque decorandus.

Simplex ac brevis coronae impositionis actus: grave ex facto auro diadema falsisque ornatum gemmis antistes faber Caroli imponit capiti, dum insanus a spectatoribus laetitia gestientibus extollitur clamor, qui aures obtundit. Rex populum non alloquitur, quum re ad orationem habendam minime sit idoneus; sed suum dexterum brachium cum uxoris sinistro illico conserit, regali in curru, qui sex vehitur asellis, cum dignitate considit, et optimatibus populoque comitantibus, atque musicis instrumentis vocibusque perstrepenibus, ad pagum seu tribum longe lateque invisendam fertur. Carolum II Zingarorum regem passim salutationibus gratulationibusque

Memini me inter ceteros admiratum fuisse, in nobiliore Italici aula senatus, Ciceronem, a Maccario nobilissime effectum, dum in pleno Curiae conventu scelerum coniuratorum principem victrici eloquentia confundit; sed decimo octavo saeculo haud minus insignis pictor, Neapolitanae gloria civitatis, Salvator Rosa, aliud rei momentum sibi delegit illustrandum, quod quidem Salustius de supra coniuratorum concione tradidit (*Catil. XXII*): « Catilinam oratione habita, cum ad iusurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumulisse; inde, cum post execrationem omnes degustassent, sicuti in solemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum; atque eō dictitare fecisse, quo inter se fidi magis forent aliis alii tanti facinoris consci». LAELIUS.



Salvatoris Rosae tabula Catilinae coniurationem referens. (Photographice expresserunt Fr. Alinari - Florentiae).

JOANNES GUTENBERG

JOANNI Gutenberg, a natali eius die quarto saeculo remeante, quicumque humanitatis beneficia experti sumus, vel mentem studiis expolitam, apt elatum animum, vel vitae solamina frequentiora retulimus, grati animi debitum solvere tenemur. Quodsi, ut nostrum est, ceterorumque commentariorum atque ephemeredum, quae millies millium numero evulgantur in dies, in hoc vita nostra omnis reposita sit, ut formas atque cogitata proelo auxiliante per orbem diffundamus, prodigiis huius inventori atque perfectori primo arctiore debito connecti videmur.

Anno MCCCC Maguntiacum nobili ex gente Gensfleisch virum genuit; Gutenberg enim cognomen, quod fama sacravit, ex materna tantum cognitione obtinuit. Vigesimum tertium agens annum, patriam civilibus praeliis paene subversam, una cum maxima patriciorum manu iuvenis deseruit, et Argentoratum, Lotharingiae urbem caput, migravit.

Exsules vero cum omnia plane ad vitam deficerent, novum hospitale domicilium in multa alacritate, in labore multo, in exigua semper re familiari Ioannes incoluit. At tandem tertio ab immigratione anno trium viros sibi societatis foedere iunxit An-

SALVATORIS ROSAE TABULA CATILINAE CONIURATIONEM REFERENS

CATILINAE coniurationem, post Gallos reiectos, atque Hannibalem superatum, maximum Romanae rei discrimen, non Tullius modo et Sallustius immortalibus scriptis clarissimam reddidere, sed pictores eximii colorum callida peritia nonnunquam oculis quasi vivam revocarunt.

dream Dryzehn, Ioannem Riff, Andream Heilmann, cives Maguntinos, ut, iis pecuniam conferentibus, ipse vicissim arcana quaedam panderet, quorum perfectione immane divitiarum pondus socii lucrarentur.

Iamque a multo tempore in hoc unum incumbebat Ioannes, ut quae tunc ligneis aut metallicis tabellis scripta et imagines signarentur, ipse contra solutis characteribus conficeret. Utibantur enim etiam ad rem quibusdam veluti sigillis sua litera insculptis, at iter longissimum amanuensis celeris manus citius dimetiebatur; itaque solutis characteribus ad rem confessis et digestis opus erat adhuc, ut liber imprimetur. Horum rationem, formam, modum, ordinem, materiam Ioannes multo impendio investigabat. Sed opificium apud Andream Dryzehn constitutum, obortis brevi discordiis, evanuit. Andrea enim vita functo, quum Nicolaus frater atque heres ex testamento Ioannis societatem ingredi eiusque arcani consilii participem se fieri petiisset, ipsi actionem instituit, perfidam quidem ac maxime iniuriosam. Exstat adhuc rei monumentum conscriptum virorum suffragium, quos Argentoratenses iudices ad causam inquirendam delegerant, unde innuitur Ioannem praeter multa, varia atque utilia in quibus perficiendis totus esset, ut marmorum et gemmarum et vitri expoliendi rationem ceteraque similia perficeret, maximas curas et operam impendisse, ut mobilibus signis confessis libros proelo ederet. Testes itaque ad rem acciti torcularia enarraverunt, quae plane abdere impossibile erat, ligneaque insuper et metallica fragmenta et reliqua huiusmodi, quae Ioannes tentaverat. At iudices rigidum ius sequuti virum damnarunt ut Andree Dryzehn heribus detrimenta reficeret, quae ille forte ob inopinatam mortem cum fortunarum iactura in patrimonio senserat, pecuniamque sibi a defuncto traditam ipsis restituere.

Igitur anno 1433 Gutenberg, Argentorato relicto, remeavit in patriam, ubi domum conduxit, ibique

anno 1450 cum Ioanne Fust, aurifice celeberrimo pariterque ditissimo, novum foedus initit, ut, pecunia et opera collata, alterum typographiae opificium constueretur. Tunc edita est primum celeberrima illa *Biblia Sacra*, latina lingua impressa, « a duobus et quadraginta lineolis » nuncupata, non vero impressionis locum neque tempus proferens, binisque voluminibus distincta, quae vix quinque annorum cursu perfici omnino potuit. Pactionem huiusmodi inter Gutenbergum et Fustum initam syngrapha in Maguntino tabulario asservata memorat; verum anno 1455 societas est resoluta, pecunia suisque rebus a Fusto secum abductis, ita ut Gutenbergio opus fuerit novum sibi torcular extruere, quod tamen Conrado Hummer, Maguntino syndico adiuvante, brevi potuit. Tum novi libri editi sunt: Hermanni de Saldis, *Speculum sacerdotum*; Donati *Grammatica latina*; *Catholicon*. Sed anno 1465 Alphonsus II, Maguntinus qui nuncupabatur elector, inter suae aulae cubiculares cum Ioannem advocasset, ipse honori cessit et officinam discipulis tradidit agendam.

Denique anno 1468, die Februarii mensis vige-simaquarta, post innumera quae toleraverat atque perfecerat, in natali urbe sua vita functus est atque in Franciscalium ecclesia humiliter sepultus. Quot vero sunt innumeris et ubique in lucem editi libri, totidem exstant eius memoriae perenne monumen-tum!

A. COSTAGGINI.

SAPIENTUM INVENTA

MINORUM Ordini praelara laus est iam inde ab exordio ita coluisse sapientiam, ut quascumque per artes, et disciplinas feliciter sodales eius gradirentur. Qui tamen seraphico institutori suo audientes dicto, vestigiisque eius haerentes, maluerunt gloriam humilitate velare, quam diuturnis amplificare et praedicare praeco-

niis, contenti si, quae fecerant, humani generis bono potius quam auctorum celebritati servirent. Hinc apud eos tum philosophos acutissimos, tum theologos exstissem sanctissimos, et existere scimus, et oratores celeberrimos nostro quoque tempore verborum Antonii heredes mirati sumus, et geographos maximos invenimus, quibus omnes patueret terrae, maria omnia nota fuerunt. Physicis autem in disciplinis miraculum illud, quasi principem virtute et aetate virum, enumerant, Rogerium Baconem, qui prophetic prope lumine fulgidus sex abhinc saeculis illa enumenabat quae nostra saecula, quamvis nondum integra et absoluta, laudant, quasi ex hisce ad inventis famam sibi pepererint immortalem. Atqui illa iam quadam notata vaticinio leguntur in ultimis illius libri paginis, quem Rogerius *Opus minus* appellavit, in *Opere tertio* clarius explicanda, cuius *Tertii operis* volumen unicum, manu scriptum enim asservabatur, nunquam satis lamentabili calamitate deperiit, sive sacrilega raptum dextera, sive incendio concrematum. Atqui duo sunt adhuc, in ipso calce *Minoris operis*, praenuntiata inventa, quae dum legimus non assequimur, quorum alterum « dynamicam », quam ait, doctrinam attingit, alterum vero repositum nescio quid altius in arcans naturalium virium edicit. Quemadmodum autem Assisianis patriarchae musicum in filiis reviviscere carmen sentimus, dum requirunt in peritia sua modos musicos, sic nuper in *Minoritis* duobus Rogerii spiritum circumvolare percipimus. Quorum proferre nomina non dubitamus, quippe et iustitiae paremus, et pulcherrima nuntiamus, nostris fortasse ignota lectoribus, qui mirabunt certe quid sit, quod cum plures vel alienam ad se rapiant laudem, hi libenter de sua conticescant.

Sitque primus, dignitatis gratia et officii quo fungitur, *r. mus et ill. mus* praesul P. Angelus Fiorini, nuper ad episcopale solium Pontremoliensis dioecesis accitus, iam inde ab adolescentia prima familiae Capulatorum sancti Francisci Placentiae adscriptus. Hic ad vitandos vaporatrarum occursus, qui humano sanguine, infortuniis, prornimis frequentibus, ferreas cruentant vias, electride automatice diffusa per axes, quibus ipse trames insternit, luce, sibili, tintinnabilis et venientes et abeuntes monet, ut stent, nec longius audeant procurrere, nisi gravem in

17]

LOLLIUS

SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Inhibuere ceteri frenos ac restitere pavidi; mox, equis relictis, resupinum circumire singuli, prehensare, supplicari, quaerere salvine lumbi essent, contusumne quidquam, aut luxatum aut fractum. At ille vario motu vires expertus, ubi se integrum sensit, poplitibus semet exceptit, totque manuum ministerio sensim assurgens, rem totam iocosis dictis prosequi voluptatis loco duxit. Ita ex concepta formidine in risum diffusi se rursus viae commiserunt.

Non diu tamen se continuit Lollius, conversusque ad Trebatium: — Poteras — inquit — equo uti melius quam vetulo asello subtritis ungulis; praelestum quum scires, facile atque expeditum asinus iter esse ad sublimia; descensum iisdem impeditum atque difficile.

Cui Trebatius: — Dic, amabo, Lolli, quid est citra omne periculum in terrestri hoc domicilio? Multos castra iuvant; sed ex quo primum horrendi prolati sunt enses,

Tunc caedes hominum generi, tunc paelia nata,
Tunc brevior dirae mortis aperta via est (1).

Qui

Fragilem commisit pelago ratem,

is metuit

Luctantem Icarii fluctibus africum (2).

Per flumina dum praeceps fugit Euridice,

Immanem ante pedes hydram moritura puella

Servantem ripas alla non vidit in herba (3).

(1) *Tis. I El. IX.* (2) *Hor. I Carm. I, 15.* (3) *VERG. IV Georg. 459.*

Fuerunt horti Hesperidum Perseo funesti: vagientis Hercules cunea draconibus perviae. Habent artes et Aracnes et Midae pericula. Venanti potest accidere quod olim Cephalo, ut coniugem ictu ferias imprudens. Aera petas: quis tutum te praestet ab impetu Boreae Orythiam nympham rapientis? Uni tu asino times, nec subit cogitatio, vel Solis equos Phaetonta transversum egisse.

Loll. — Numquid his congestis exemplis vis efficere, praestare asinum equo? Haec si iudicas « non est quod multa loquamus » (1). Nihil enim tam absurdum cogitari poterit, quod non simili patrocinio defendas. Suspecta igitur mihi erunt haud minus praeconia, quibus vetera extollis, quam probra et cachinni, quibus recentiora prosequeris. Scio quidem hoc esse natura insitum unicuique seni, ut sit

.... laudator temporis acti

Se puer, censor castigatorque minorum (2).

Ipsum enim quo magis praesens vita fugit, eo constantior praeteritarum rerum occupat recordatio. Sed primum non ita aetate processisti, Trebati, ut in vita haec selectus incurras. Deinde, quum ad summum tempus perveneris — cupio enim tibi Nestoreos annos — velini a cetero senum vulgo te secernas, fiasque Mitio ille in *Adelphis*, cui forte nomen ἀπὸ τῆς πετίδος, id est a mente et consilio fuit, non uti Demea, querulus, acerbus, difficilis, eiulans misere

.... Iuppiter,

Hancine vitam? hoscine mores? hanc dementiam? (3)

Nam, « ut non omne vinum, sic non omnis natura vetustate coacescit » (4). Tibi igitur semi juvenile sit aliquid, quemadmodum Cato monet in dialogo Tullii: « Ut enim adolescentem, in quo est senile aliquid, sic senem in quo est aliquid adolescentis probo; quod qui sequitur, cor-

(1) *Hor. II Epist. I, 30.* (2) *Hor. Ad Pison. 73.* (3) *Act. IV, sc. III.* (4) *De Senect. XVIII, 65.*

pore senex esse poterit, animo nunquam erit » (1). Id que eo diligentius curandum, quo proprior imbecillorum est contrarius mos. Magna enim vulgo inest vis consuetudinis, cuius quasi parens et altrix est animi superbia quaedam cum inertia coniuncta. Ita fit ut sibi quisque facile suadeat, que semel a puero didicit, in iis doctrinam omnem contineri; per ea se terrarum casique terminos apprehendisse, et in consilium Iovis ascitum uberiori scientia non indigere. Plurimorum autem stultitiae tanta est, ut omnino credant, sapientiae lumen iam non publice, ut ante, lucere, sed in suo et paucorum cerebro delitescere, vis ausum interdum erumpere prae metu ne rideatur. Qui dum cotidiano ploratu extinctae laudi iusta persolvunt, praesentem aut calumniam obterunt, aut silentio praeterunt, iuxta illud Flacci

*Urit enim fulgore suo qui praegravat artes
Infra se positas: extinctus amabitur idem* (2).

Et rursus:

Virtutem incolumem olimus,

Sublatam ex oculis querimus invidi (3).

Treb. — An id agis ut ex asino descendam, quoniam tanta moliris?

Loll. — Si mavis ire pedibus, id erit etiam antiquius. Vide tamen quantum progredienti humanitati obsit asinina ista vectio, qua saepe accidit ut spes provehendi cultus infringatur et omnis languescat industria; quae toties causa exstitit cur summis viris intercluderetur iter, conantibus ne quid profuturum saeculis diu lateret. Ita nos — si parva licet componere magnis — tui causa, vel potius antiquitatis gratia, Reatinum remoramus iter.

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

(1) *De Senect. XI, 38.* (2) *II Epist. I, 13.* (3) *III Carm. XXIV, 31.*

s bono potius
pud eos tum
tissee sanctis
rimos nostro
mirati sumus,
s omnes pa-
ysciscis autem
em virtute et
qui prophe-
lis illa enun-
m integra et
famam sibi
m notata va-
s, quem Ro-
clarius expli-
anu scriptum
li calamitate
necendio con-
calce Minoris
mus non as-
quam aiunt,
nescio quid
emadmodum
is reviviscere
sua modos
eril spiritum
nomina non
pulcherrima
s, qui mira-
jenam ad se
cant.

quo fungitur,
uper ad epi-
accitus, iam
orum sancti
ndos vaporis
ortuniis, proh
electride au-
s insternitur,
ntes monet
si gravem in

Apparatus provido nomen imposuit ex re, quam praestat, non ex nomine auctoris, gloriae nominis sui humilime valedicens, voluitque ut « indicator electricus » appellaretur. Inventum doctissimus magister Ferrinius quoque ex parte probavit, certumque est nihil contra posse interposita spatia, cum nuncia electride utatur, qua nihil celerius concipi animo potest.

Alter autem, ex Minoritarum agmine pariter, est quidam P. Augustinus Ariminensis, qui saepius considerato galeri episcopalibus a fornice suspensi motu, nulla impellente causa, cum in templo esset, in hanc venit sententiam, « inesse pendentib; ponderi vim, qua sibi relictum corpus sensim sine sensu a data directione abiret, novumque idemque constans arriperet iter, quod motu diurno orbis terrarum responderet ». Quum autem saepius ista propiceret, in humili cubiculo « pendulum » filo per exiguo fornicibus suspendit summis (non autem tria metra longitudinis excedebat), impositumque imo pondus, quod prae manibus habuit. Hinc disposita subtus mensa, sparsaque arena, cui signa itinerum suorum pondus inscriberet, ea evidenter cognovit, quae ex galeri motu suspererat. Tum accitos sodales rei testes voluit, monuitque aberrationem hanc deberi motui orbis terrarum ab occidente in orientem, praesertim cum unumquodque signum elliptice describeretur. Haec autem siebant anno Domini 1837. In eadem, solemnii apparatu, Parisiis devenit Leo Focault, cum anno 1851 coram Academia, quam Scientiarum nuncupant, « pendulum » constituit filo ex chalybe per metra 68 diducto, pondere autem addito in imo chilogr. duodetriginta.

Huius inventi gloriam humili Minoritae, qui
Commisit pelago ratem
Primus,

integrum tutamque servavit R. P. Iustus Trovatelli, qui magna frequentia cum Geodinamicae Speculae, cui a Giaccherino appellatio, initium faceret, monumentis mandavit, auditamque voluit epistolam celeberrimi P. Timothei Bertelli de re narrantem, atque in illam retulit verba ipsa partemque epistolae Ariminensis P. Augustini.

Nos nihil detrahentes et nihil invidentes glorie Leonis Focault, exultamus illa legentes; nam, quae Leo fecit, suapte fecit, Pallade sua fecit, gloriae suaec fecit; nihil enim noscere poterat de iis, quae in humili Minoritarum coenobio Ariminensi duo de viginti annis antea agebantur. At iuvat haec nostra referre tum ad Minoritarum famam, tum ad Italie gloriam non exigam, tum denique ne videamur rerum alienarum cupidi, nostrarum incuriosi.

M. LANI.

HORAE SUBSECIVAE

Ignes arte facti in monte Pincio.

O quae nocte iugis virides demissa per auras
Continuo visum lux inopina ferit?
Ingeniosa focus fabricata est machina ligno,
Protinus et flamas Pincius ecce vomit.
More rotant aliae atque aliae dant sibila caelo
Sulphureusque globus surgit ad astra volans.
Machina terrifico dum fulminat aethera bombo
Nocturni late personal ora Tibris.
Excitus ipse pater flavis sese erigit undis
Excusioneque comas haec Tiberinus ait:
« Vita virum qualis! nunc luce sonoque coruscat,
Mox tamen obscurō victa sopore lacet ».

B. NELLI.

FERDINANDO COM. CAPPONIO
PISANORUM ARCHIEPISCOPO
OB EIUS RECUPER. E GRAVI MORBO VALETUDINEM
AN. MCM

*Diffugere procul Pisano ex aethere tandem
Nubila tristiliae, praetrepidaque dies.
Gratulor bine laetus, quod te, Fernande, saluti,
Omnibus optatum, reddiderint Superi.
Idque ultinam et nostro de Mauro⁽¹⁾ ego dicere possem,
Qui amborum coluit semper amicitiam!
Nota satis, quanto vir te dilexit amore,
Utque mibi nunquam laudis avarus erat
Ipse per Ausoniam, fama resonante, celebris,
Ulpote doctrina dives, et ingenio.
Attamen is placuit, Maurum caelestibus addi,
Praesidio ac decori te superesse meo.*

IOAN. BATTANIUS.

COMMUNIA VITAE

Propriae quibusdam quadrupedibus voces (2).

RES non abierte a praevisia, immo vel ipsa praevisa anteiverunt. Quotidianus enim imbribus serme asueti quaestum al'quem, vel speciem quaestus ab ipso damno hauriebamus, et aequi bonique faciebamus nubila pluviam sine more modo effundentia at prohibentia solis aestus, et pulverem coercientia viaram. Erat in iactura ipsa proventum, et ineunte Iunio mense Aprilis tempor dominabatur. Verum ubi, recedentibus nubibus, liberae solaribus radiis fuere viae, agri fuere, aer, domus, plateae, agri fervore coepartunt, nos aestuabundi vespe tantum querere amicos, expedire negotia qua possemus, omnia ad extremas cuiusvis diei horas, quae circa meridiem forent facienda, remittere. Flagrabat animus cupiditate compellandi amicos, quibuscum sermones olim de venatoribus, venatoriisque suscepti tandem absolverentur. Uti commodior singulis eligeretur conventuris locus, coenantem advi Rostagnum, et sextus in coenaculum sui ad optimam, quae afferebantur, vocatus, non conviva tamen omnino. Mene degulatorem dicetis, aut, urbanum Horatii murem recordantes, degustatorem (sit venia verbo) obsoniorum tantummodo, quasi superbo dente, praedicabitis? Morari me inter utrumque sinatis oro, neque enim sum is qui gulae totus indulgeam, neque sum is, qui Pithagoram sequutus, a suavibus abstineam, et, ubi optio fuerit, meliora pro bonis reiciam. Dum igitur apposita queaque non peto, dum oblate queaque non respuo, causam repellenti adventus mei amico dulcissimo et nobilissimo ostendo. Qui, admirante me virum tot distentum laboribus, tot curis distractum, tot gravissimis muneribus implicatum, immeantem libentissime per ea, quae a quotidiano eius officio prorsus devia, et avia viderentur: — Quis vetat — inquit — ut hic et nunc ea suscipiamus, quae conveniendi causa fuerunt, quin crastini alio convenientiam in loco? Dixeramus, ni memoria me fallat, quantum sit inter eiusdem quadrupedis vocem et vocem. Aliud enim sonat in territo, aliud in ovanti, aliud in petente auxiliu a similibus suis; alia vox est amore blandientis, alia crientis iras pugnamque parantis. Atque haec non modo scire, sed accentu vel minimo noscere optimi venatoris est. Quid si feram interesse haec indicia, et profutura non venatoribus modo, sed hominum virorumque cuivis? Tu profecto Virgilianum illud recordabere de cornice latum, cuius carmina sonant per aerem:

Nuncia venturos nauis prodentia ventos.

Volucres clamosum genus; quadrupedes contra silentiosum saepissime, nec, nisi necessitate aliqua premente, atque eadem gravi, vocibus indulgent. Saepe, aestuante sole meridiano, venatores sub i.licibus, sub fagis fusi per herbas in montanis, otio solutas horas dum terebamus

(1) Intellige Maurum Ricciū, virum sane litteratissimum, et praeclarum totius Ordinis Scholarum Piarum moderatorem, nuperrime vita functum.

(2) Cfr. an. III n. XII.

colloquio, de re hac sermonem inter nos constituimus, immo disquisitionem potius quam sermonem, et indagines melius quam disceptationem. Fortasse ridiculum quod videatur proponam, at fere unanimi sententia iudicatum est rei causam esse in superbia gentis. Ne rideas. Bestiae prout coloribus gaudent suis, ita vocibus. Taciturnus quidem pavo. Curnam? Rudis vox, et iniucunda, et absonta, quam, vel se iudice, excusare posset, laudare non posset. At cur credis eudem exultare apicibus, gloriari luce, superbire cauda? Quia versicolores pluma flammam imitantes pyropi, coeruleum caeli, aurum, purpuram, viride, omne quod per mille dispersum flores et herbas habetur, dignum caelo potius, divorumque consortio reddunt. Cum Sannazario dicam:

... Anne oculos Actius unus habet?

Lusciniola contra inter dumeta se sponte recondit, neque aëria petit, immo fere oculis potentia late culmina perhorrescit. Crede; se novit humilem veste, nullis insigniis coloribus. H'nc latet. At effusos in cantus, dulcissimae vocis late pandit ex humili loco melos, longaque modulamina nocte dieque; quinimo nocte magis quam die; audiri cupit, audiri exsultat, non amat videri, conspicu non desiderat, nequid incompta vestis detrahant caeleste canent. Si nunc a volucribus ad quadrupedes venias, fortassis ipsa recipias. Superbit equus aeventulus crinibus et, ludentibus per colla iubis, per armos, in planicie versatur, gaudens et cursu, quibus excellat, ostendere, gaudens ipsos cursu prævertere ventos. Elegantiora corpore, præstantiora quae sunt forma specieque, animalia, sublimiora captant, uti cervi, damaeque, capreaeque omnes. Deformia latere cupiunt. Quid elephantes, hippopotami et quae proxima iis? Silvestre genus, dices. Non ita; silvestre genus et camelopardales, qui timidi fugam, si propius accedas, arripiunt præcipites; at ita arripiunt ut illud Virgilii redeat in mentem:

Et fugit ad salices, sed se cupit ante videri.

— Atqui — tunc ego, non sine risu audientium — asinus, qui « rudit » hoc mense, mehercule, liberalius quam aequum sit, atque vehementius, reliquis qui sunt mensibus, se et nos deliciosissimo illo rhythmo, quo utitur, suo carere non patitur; credisne hoc esse quia deliciosa illi ceterisque vox insonare videatur?

— Quid miraris in animali tam bardo, tam bleno, cui famam fecere proverbia? Ac tamen ne concedam quidem hoc illi esse in more, qu'a vel sibi vel aliis deliciosa vocem iudicat suam. Scis probe miserrimum hoc genus fame, fuste vexari quotidie; hinc quidquid, vel leve subsidium, causa laetitiae misero est; asinum autem ruderet laetitia titillante scimus. Novi quoque villicos, qui saepe de suis asinis loquebantur, dicebantque neque brevi, neque mediocriter rudentes quoties heri pedes ad ianuam stabuli audirent, præsertim noctu si accederent. Pabulo vacuum præsepe, gramine, foeno penitus absuntis, inventabant. Implorabat escam igitur asinus, ut fame levaretur, implorabat proximum dominum ut praesto esset, ac reficeret. Accipe igitur qua de causa tam saepe ruderat asellus. Verum ut nostrum acu tangamus argumentum, ac te de iis, quae concepisti vota, ego absolvam, tene quee communiter dici possunt de quadrupedibus nonnullis, quae ego venator plerumque experientia probavi, et modo vera proprio nomine novi, modo quadam similitudine delata reperi. Nam ubi tulit Virgilii, ni fallor, ursum circumgemere ovile circumeuntem, dedit vocem « gemere », non quia, ut in humanis, dolore cietur, sed quia similis gemitus humanis est; nostri gemitus dolorem, ursorum gemitus desideria prædae, cui inhiant, significant. Quid insuper?

Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

Vide, sis, num aliquid, praeter similitudinem sonitus, commune sit mati ploranti unigenitum, ursu ad praedas frementi, turturi dicenti amores. Proprium autem leporibus et cuniculis est aliquid vocis edere, quod vagitui infantuli parvo tam simile sit; hinc eos « vagire » dicimus, quos, ubi vulneratos ad fugam impotes manu capias, ita audies emitentes. Feles vero, proprio verbo utuntur, et « felire » feruntur; at quam diversa in felientibus, et multiplex fe-

liendi ratio! Aedopol!; quantam in leone « rugiente », in tigride « raucente » conspeximus. Pardos insuper « felire » et ipsos iudicamus, similitudine a felinae vocis delata. At meles et ericias « crepare », « concrepare », e strepitu crotali accita voce, notamus. Contra vero ab ipsa natura, ab onomatopoeia, quam Graeci dicunt, a proprio sibi sonitu, « balare » d'cimus oves, et potentius, si gregem indicaverimus, atque eleganter, Virgilio duce, « balatum exercere » dicemus. Ursus profecto « uncat »; vide quanta sit a gemendo diversitas; atque hoc et proprium generi ursus verbum vindicat, quemadmodum si dicas « ululare » lupos, « barrire » elephantes, « orcare » lynxes, « grunire » maiales et porcos, non tamen sues; namque hoc in genere et apri sunt, quibus est vox « frendere », non grunnire. Hircus « mutit », hircus « quirrit », quod verbum ultimum non minus invenio tributum asellis, ut etiam verbum: « oncare ». Panther « caurit », cervi et onagri « glotitan ». Tauros « mugire » quis male norit, verbo imitante vocem? Quis et « hinire » equos hac ipsa de causa? Sed catulos « glaucitare » scito, « mintrare » mures, « dintrire » mustelas, hisque illud murium grande genus, quod mus decumanus, et saepius decumanus appellatur sorex, immo sorex unice; vix enim ducentis ab hinc annis in Europam ex Asia pestis ista migravit, exodo memorabili tum multitudine, tum calamitatibus regionum, per quas transivit. At ego in latinis libris invenio sorices « desticare »; quid modo, si priscis haec pessima animalia ignota fuerint? Dico igitur innotuisse, rara tamen fuisse. Iamque claudam haec omnia dicens « sibilare » serpentia; quod notum; « grillare » autem grillos, quod fere a consuetudine avium. Quis enim unquam retulit in scripta exercitationis causa: « grilli inter herbas nocte tota grillabant »? Ac tamen in aequo est; dum plerique, qui libentius describerent « barros barrire », a grillis grillantibus calamum prohibent, quasi ne stylus nefario scelere polluator. Quaeresne qua de causa grillos posuerim quasi ad tholum atque aedificii coronam? Quia, si libuerit, multa tecum de papilionibus agam, in quos colligendos, disponendos ad museum ornandum incumbo. Verum haec alias; nunc, quia tempus est, aliis noctem sermonibus protrahamus.

H. DE VECCHI - PIERALICE.

ANNALES

Sinensis furor - Transvaalianae advelitationes - Ascantum seditio - Mauritaniae recens discriben.

De horrendis, quae e Sinis recens nunciata sunt, excidiis, dum anceps adhuc haeret animus, quae credit inscius quibusque fidem detrectet, angore tamen excruciat quid nationum legatis, negotiatoribus, ipsisque consociatis militibus fortuna paraverit, praecipue in Sinae urbe capite, in Tientsin mercium emporio, inque Ta-ku portu. Verum non in exteris tantum civium furor exarit. Fama enim est Peckini post illam, quam tuto iam tradere videntur, omnium legatorum atque peregrinorum exterminationem in Angliae legationis postremo refugio patratam, turbam pugilum multitudini immensae confisam et sanguine inebriatam, imperiales ipsas aedes gladiis atque ballistis aggressam, moenia portasque superasse, atque imperatricem ipsumque « caeli filium », trucidatis excubiis, thesauris direptis, veneno morti tradidisse: exinde Tuan principem acerrimum Europaeis gentibus inimicum summam imperii manu regere, eique veluti administrum adesse Tung-fu-siang, utriusque militiae praefectum, qui ex Turkestane regione lectissimas totius imperii copias moderabatur. Quae quidem tali viro duce Peckinum iam ingredi properant, unde ad Tien-tsin descendunt. Uni sunt autem qui Europei vicibus aliquantulum faveant, praesides provinciarum, quae meridionalem imperii partem consti-

tuunt, non adeo feroci odio in exteris moti, ut ipsius principis qui regnum usurpavit edicta repellere sint ausi, atque iterum iterumque polliciti milites suos non coacturos, et vitam et bona Europaeorum ultra defensuros.

Res vero tota pendet a casibus, quibus septentrionale bellum occurret. Quamvis enim Tien-tsin urbem nostrae foederatorum copiae recuperaverint, militesque qui cum Seymour anglo navium praefecto castra moverant salvos reperint, tanta nihilominus exiguitate, si cum immensa hostium multitudine comparentur, laborant, ut nihil tuta spe aggredi, neque Peckinum ullimode petere valeant. Auxilia proficiunt ex nostris litoribus cotidie; quae auspiciis maximis salutaverunt et Galli, et, oratione lectissima, Germanus Caesar; at longissimum iter ipsa praedicit, quominus urgenti discrimini valide occurrant. Quare hinc Iaponensibus, inde Russis, qui propinquitate praeceteris iuvantur, munus committi nunc visum est, ut immanes barbarorum conatus initio saltem ipsi cohabeant, cunctantes autem tempusque Europaeis concedentes, quo et ipsorum milites illuc tandem attingant; praevident enim plane rei militaris periti bellum hoc non antea inferri posse quam centum millia saltem militum in Sinarum regione congesta fuerint. Quid fata parent ignoramus prorsus; certe, humanitatis atque barbariae tam immane bellum vix aetas fuit quae maius viderit.

*

Sed et reliqua bellica sunt, quamquam tanti discriminis immanitate paene obruantur. Transvaaliani cives ab advelitationibus quotidianis minime desistunt. Modo enim Clement dux ad Rand flumen, vel Hamilton circa Praetoriam, vel Paget ad Plaisir-Fontein Boeros superant, modo contra Boeri ad Amezpoost, ad Utrecht, ad Honing Spruit, ad Masseru hostes repellunt. Haec inter horum legati qui ad Americanas nordicas foederatas civitates auxilium expetit, iter fecerunt, Havre portum in Gallia redeentes attingerunt, maximoque plausu exceptisunt. At quid inde?

*

Tertium quod sustinent Angli bellum Asciantes Afri suscitaverunt, quos inter oborta seditio anglicum Cumassie urbis praefectum eiusque praesidium una cum centurionibus suis fugam capessere coegerit. Rursus vero ex inexhaustis Britannorum divitiis auxilia in facinorosos profecta sunt, quae ad Dompassi hostes fuderunt ac profligarent.

*

Gallos Africae perturbationum ultima tangunt, ex Tangeria Mauritaniae urbe allata, ubi Mahumentanorum multitudo Marcum quemdam Essagim, negotiatoriae gallicae domus gestorem, ob exorta iurgia interfecere eiusque corpus flammis combusserunt; quod plane flagitium nisi artium recognitio Lutetiae patens, Sinarumque negotia animos occuparent, non sine ultiione magna evasurum credidisse.

POPLICOLA.

In Anglia leges latae nullae; at agitata coram municipibus quaedam de Mauritaniae, de Ascantum, de Sinensium periculis, inter quae tradidit Brodrick, rerum ad exteris administer, Mauritaniae Europaeorum copiosi minime invadendam patere, eamque forte nationum coeui ad rem coacto constituendi ius esse tradendum.

In Austria, interruptis ex Bohemorum « obstruktione », uti diximus, legatorum sessionibus, imperatorio

edicto cautum est, ut administri summam expensarum ad sex menses gerant. Dicunt autem Koerber praesidem totum iam incumbere, ut asperrimam illam quaestionem de sermonibus per imperium utendis, compositis adversiorum animis, aliquando praecidat.

In Gallia contentio iurjaque vehementissima comuta sunt inter oratores quod Jamont, dux exercitus princeps suo munere abdicaverit. Qui quidem cum a supremo bellicae rei novo administristro André, eorum praefectum, qui bellis moderandis student, immutatum, sese inscio, vidisset, et munere cessit. Eadem in senatorum aula non sine tumultu relata sunt, sed latis ad rem suffragiis administratorum collegium victor e discriminis evasit.

In Iberia Villaverde, aerarii administristro, Santallen de San Lagaro comes suffictus est.

In Italia concessum gubernantium collegio, ut aetivis feriis supervenientibus negotiorum summam pro tempore gerat.

SCRIBA.

LIBRORUM RECENSIO

BASSO. *L'arte di ricordare*. Ed. Tiferni Salv. Lapi, 1899.

De libro hoc artem memoriae docente notitiam relaturus nullum rectius iudicium inveni, quam quod Hercules Ludovisi, in Ferrarensi athenaeo doctor, edidit: opus nempe meditatum, scitum, doctrina exultum, quod, e legibus quas natura memoriae largita est initium dicens, ipsis credit, ut novam eamque praestantem rationem omnium quaerat, viribus accommodatam, atque ideo intellectu facilem, uberie percipiendo fructui apertam.

I. F.

AENIGMATA

I.

Totus despicitur; polles primo; obstrepit alter.

II.

Jungit, disiungit caput et iam dicta coeret;
Insomis interdum trahitur pes ante tribunal.
Ne capiti hunc iungas, precor; eius crima Phoebus Horrescens, pavidus retrorsum rursus abibit.

DIGAMMA.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus cui titulus:

GUIDA DEL PELLEGRINO A ROMA
riveduta e corretta dal P. GIUSEPPE BONAVENIA d. C. G.
(Rome edid. Desclée, Lefebvre et Soc.).

Aenigmata ann. III, n. X proposita his respondent:

1) Das - Dos. 2) Gena - Genu - Genua.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco, Roma - Ioannes Mediolanensis - Fr. Perényi, Iszéberény; Vinc. Lakatos, Keszthely, in Hungaria - Alb. Schneider, Turico - Ios. Wabner, Varsavia Polonorum - Bart. Salvá, Artà, in insula Maiorica - Guil. Schenz, Ratisbona - I. Wilhelm, Cantauria - Ios. Castelli; Alois, Ranieri, Bergamo - Car. Stegmüller, Sabaria - Herm. Gini, Taurinis aquis - C. M. Leclerc, Hochelaga; Aug. Robege, Chicout, in Canada - I. B. Henken, Elizabethtown, in civ. foed. Am. sept. - St. Fi-gielski, Rybno - Fr. Sallarés, Sabadell - Th. Vinas Sch. Piar, Tarrega - G. Langenberg, Monasterio Guestph. - Iul. Sernatinger, Dresden - Ver. Cariolato, Vicentia - Ant. Jaklic, Tergeste - E. Schütz, Succhiela - P. Garrone, Pezzana ad Vercellas - F. Arnoni, Mediolano - V. Hertel, Mendhausen - I. Crosatti, Poiano - E. Frachetti, Bengalore, in Indis.

Sortitus est praemium:

I. WILHELM,

ad quem missum est opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM EGLOGAE
Edidit BRANDT Lipsiae ex off. Teubneriana.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

mam expensarum
coerber praesidem
llam quaestionem
ompositis adversa-
mentissima com-
nt, dux exercitus
i quidem cum a
ndré, eorum prae-
immutatum, sese
in senatorum aula
ad rem suffragiis
crimine evasit.
stro, Santallen de
collegio, ut ae-
m summam pro
SCRIBA.

ENSIO

Tiferni Salv. Lapi,
nte notiam rela-
quam quod Her-
eo doctor, edidit:
a exultum, quod,
a est initium du-
raestantem ratio-
datam, atque ideo
o fructui apertam.

I. F.

trepit alter.

coercet;
tribunal.
rimina Phoebus
us abicit.

DIGAMMA.

atis interpreta-
torem miserint
gratis accipiet

A ROMA
VENIA d. C. d. G.
(et Soc.).

his respondent:
u - Genua.

ensis - Fr. Perényi,
Hungaria - Alb.
Polonorum - Bart.
chenz, Ratisbona -
Ranieri, Bergomo -
Taurinis aquis -
Chicot, in Canada -
Am. sept. - St. Fi-
nian, Vinas Sch. Piar.,
- Iul. Sernatinger,
Jaklic, Tergeste -
ana ad Vercellas -
ausen - I. Crosatti,

GLOGAE

bneriana.

, iurisperitus.

Socii.

PER ORBEM

Q UAE maxime atque ante omnia mea ad amissim intersunt, adnotare sinatis; Zeppelin, Germanici comitis opera industriaque, peractum re vera esse, quod tot iam ab annis frustra quasiveramus a fatis, ut aerostaticis sphaeris innixi, per nubes tute deferremur, non commiso quidem ventis viae arbitrio, sed recto gubernaculo, manibusque hominis etiam contra procellarum vim firme tradito. Constantiensis urbis lacum, civesque omnes qui ripas compleverant, qui lintribus et naviculis innumeris undas persulcabant, rei testes accepimus; supernatanti scaphae alligatum, quam remulcatoria navicula post se traheret, immenso illum atque giganteo ausu, suam machinam ex chalybe atque ferro exstructam, igne et calore inflatam, super mediis undis stetisse. Inde autem resolutis funibus ad nubes lento gradu processisse, blandientibusque zephyris atque impellentibus, tria millia circiter passuum pro unaqua hora dimensum. Revolvabantur pariter hinc et inde per latera rotae electrica vi actae, in quibus vero maximus novi monstri defectus apparuit; non ita tamen ut ab inita via desistere aereum viatorem coegerint, qui immo ulterius altiusque ascendens, non antea remisit cursum, quam congesta in lateribus navis motiva vis defecisset. Tunc lente descensus incepit, quo paulatim perfecto, cum naviculae novo aerostato appensae fluctuum faciem attinxere, statim navis resolutis motibus stetit. Igitur visum est plurimis, iisque aeroitinerum disciplina versatissimis in huiusmodi conatibus, rem maxime optatam Zeppelin esse tandem adeptum, admotisque aerea machine opportunis immitationibus, liberam iam cuique audacis animi viro patere in nubibus viam. Quare non immerito Germanum comitem ad cauponam redeuntem centuriones optionesque omnes, qui aeronavibus praeficiuntur, plausibus maximis exceperunt, plenosque cerevisiae cyathos in favens auspiciu attollentes delibarunt.

*

At plane hominum mens, quae naturae vires subiicit, mysteria investigat, homines interdum effera malitia patrantes scelera obtusa acie non videt. Hoc Lutetienses urbanarum cohortium milites, qui publicae incolumenti invigilant, recens expertos reperimus. Est enim Lutetiae via quae-dam, cui ex Burgundia, veteri Galliae atque celeberrima regione, nomen; in qua quidem et aedes sunt summae administratorum scholae, qui agrorum Galliae cultum in peculiari cura habent. At neque ab uno iam, neque a binis diebus, qui in eiusdem aedis finibus incolunt terrore maximo die noctuque afficiebantur, atque angore vivissimo laborabant. Insonabat enim interdum veluti pueri horribiles eiulatus, qui in patrem, in matrem, in germanas sorores sese torquentes, excruciantes, ac prope perimentes, emissi exaudiebantur: « Heu! mater, ne adures me! »; « Eia meum crux! »; « Non amplius errem, soror! » Arguebant hinc exterriti cives atque miserentes inhumanam quandam latere per eas domus familiam, quae in infantem defensionis impotem sive crudelitate tanta tormenta experiretur. Re magistratibus nunciata, milites urbani ad illustrionem descendunt; at publicis agrorum culturae aedibus, nec non privatis undique circumstantibus, ubique unde clamores exire dicebantur, a lacunaribus et tectis usque ad caveas et fundamenta recognitis, nil undique emersit, quod neque tanti excidii indicium esse videretur. Nec tamen eiul-

latus unquam siluisse tradunt, ita ut mens ci-
vium exterrita, atque ad fabulosa maxime ac-
clinis, purgantes vel expiantes animas per ea loca
versari iam sibi effinxerit, passimque dictitarit,
ut lugubre arcanum quovis modo enodetur.

*

Placuit autem interdum, pariterque Lutetiae, pugnam a Gallorum Italorumque copiis contra Austros apud Sulpherinum oppidum feliciter peractam solemnibus epulis commemorare; quod ea potissime de causa recoluimus, quoniam et apud nos idem his diebus servatum est ad Legnanum oppidum, ubi praelium in Germanos imperatores fuit, veteris italicae libertatis auspicium, etsi sterile, maxima tamen virtute insigne. Monumentum est ad rem positum, marmoreo signo venustissimum, quo miles ex celebrima legione a morte nuncupata effectus est, ferreis squamis vestitus nudumqueensem in hostes attollens. Butti, sculptor insignis, hanc patriae gloriae memoriam nulla mercede insculpsit.

*

Letalia horum dierum praetermitto, quae pestis iues in Orientis regionibus, quae vorax ignis Neo-Eboraci tetrica patratur; malo nuptialia in fine reponere Francisci Ferdinandi, ex imperiali Austria domo, et Sophiae, comitissae et gente Choteck. Franciscus Josephus imperator recenti nuptiae coronam ex adamantibus fulgidissimam donavit: nos autem pro nostra tenacitate vix est, ut auguria ominari audeamus.

VIATOR.

V A R I A

Manufacti lapides.

Apud Germanos nonnullis abhinc annis feliciter excitata, haec ars - dicere liceat artem quae industria quidem crescit humana, quamvis mente orta sit - in nostras ad Forum Iulium regiones demigravit, cui opus est condere lapides, et saxa conficere, quae omnia communia cum naturalibus saxis atque lapidibus habeant. Res fere videtur inutilis in provinci's Apennino proximis, ubi istiusmodi matieres infelici quadam copia superabundat; at non ita apparebit viro cogitanti quid impendit sit in aptandis, dolandis, scalproque poliendis lapidibus, ut architectorum et aedificantium voluntati respondeant; dum e contra in manufactis omnia sunt ad formam ab aedificantibus constituta. Quid autem in regionibus iis, quibus, liceat exempli gratia patentes Apuliae memorare campos, petrae nullum genus, et longe carris traheisque adportandum? Rei adinventor De Michaelis chymicus fuit annis abhinc viginti, qui immisso vapore ebullientis aqua in pulvrem corporis, quod dicitur quarzo, silicatum calcis conficiebat, massaque inde oriebat duritie, colore quolibet, ceterisque adjunctis non inferior saxis, quae natura plurigena erexit in rupes. Inde conati sunt in optima Czernikow, Gressy, Avenarins, Kleber, Neffgen, Pfeiffer, aliique; sed Moscus quidam mathematicus Olschewsky, adhuc sabulo et calce humenti, De Michaelis rationem sequutus principem obtinuit locum, atque omne tulit punctum. Hinc dolata nunc saxa venalia sunt exiguo aere, talique immo, quod antea vix esset pro mercede sculpturibus.

*

Quam diu liceat carere somno volentibus.

Medici duo ex athenaeo Jowae, in foederatis Americae septentrionalis civitatibus, experimen-

tum constituerunt in duobus hominibus, qui prudentes ac scientes periculo se subiecerunt. Hi igitur quatuor perpetuis diebus tribusque noctibus vigilare potuerunt kafeo tantum, loco pharmaci cuiusvis, utentes. At ubi ad hoc temporis ventum est, aliquid grave ambobus videbatur ingruere; scimus enim adhuc esse supplicii genus apud barbaros, quod capitum reos insomnio cruciatis morti tradit, apoplexi post horribiles infandoque dolores cerebri, oculorum ac pectoris necandos. Hinc experientiae finis. Qui superstites, cum interrogarentur de toleratis, responderunt alterum atrocia tertia vertente nocte pertulisse, alterum secunda. Dati statim somno, et quiete refecti nonnullis horis, febris qua incendebantur evanuit, et ea pariter, quae, praeter febrem, incommoda ex diurna vigilia suscepserant, nempe vomitus, vertigines, oppressiones pulmonis, et mentis turbatio abierunt. Nos autem, si interfari fas sit, putamus non posse experimentum esse, quasi absolutum quaque ex parte argumentum, quo aliquid certum decerni possit, sed aliquid inde colligi penitus relativum; senes enim aptiores tolerandis vigilis, quam pueri, sunt, quinimo homo in hoc ab homine differt, iuxta nervorum compaginem, iuxta ciborum rationem modumque, iuxta quotidianos labores, atque alia sexcenta. Quibus tute perpensis, non erit cuiquam certo limite decernendum ac definiendum quamdiu sine somno vivere liceat.

*
I o c i .

Dynastae ab anno solemnum matrimonii agebant diem, qui magno amicorum consanguineorum convenitu celebrabatur. Multitudo ingens! Tunc architecto domus periculosa aulae hospitali tanta frequentia visa est; metuebat enim ne suppositae pavimento trabes immani pondere disrumperentur. Sponsum et sponsam adit, ut omnium incolumenti prospiceret. Negat uterque sponsus aliquid periculi ingruere; rem in solido esse; supervacaneam architecti sollicitudinem. — Atqui — architectus inquit — ruina imminet; aspice. — Utraque socrus aulam ingrediebantur. Tum territi sponsi architecto: — Matura ad fulciendum; immane pondus, ipso Aetna gravius; ruina imminet.

*

Rustica argutia.

Patriciam hanc argutiam, urbanitas ac reverentiae laesae crimina afferentem, sequatur hodie placet plebeia argutia summo discrimine a vulgari homine in medium lata. Atrocem annum imperatoris Davoust probe cives norant in potestatem eius ira Martis redacti, norant milites imperii eius parentes. Ille autem iusserat (capital eset qui iussa frangeret) nemini militum licere rapaces inferre manus in res domesticas civium. Iamque ausos contra patrare festinata nece puniverat, cum in militem veteranum incidit, qui lactentem porcellum (succulum dicunt), ab matris ubere surreptum in castra cogens ulnis ante pectus eiulantem ferebat. Iudicium in reum facturus horrible, stare iubet porrecto brachio latronem, interrogatque ferentem accusatus ne et continens clamor succuli locum locuturo duci daret. Et ille magis, vehementiusque stridet. Tum gregarius animali, colapho impacto: — Impudens — inquit — es animal; taceas aliquando ut imperator loquatur. — Prosternit verbum; nam repentina risu imperatoris ora saevissimi soluta sunt, succulumque reliquit abducenti militi veru configendum, et assatum rite postea comedendum.

P. d. V.

Desclée, Lefebvre & Soc.

ROMAE - VIA S. Chiara, 20-21 - ROMAE

Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum, ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata sub auspiciis SS. D. N. Leonis PP. XIII.

Vol. I, ab anno 1588, N. 1, usque ad annum 1705, N. 2162.
In-8, pag. 486. Lib. 8,50.

Vol. II, ab anno 1706, N. 2163, usque ad annum 1870, N. 3232.
Lib. 8,50.

Vol. III, ab anno 1871, N. 3233, usque ad annum 1899, N. 4051.
Lib. 8,50.

Vol. IV. Commentaria ad instructionem Clementis XI pro expositione SS. Sacramenti in forma XL horarum et suffragia atque annotationes super Decretis Sacr. Rituum Congregationis. Lib. 8,50.

Vol. V. Index generalis (sub prelo). Lib. 8,50.

Nuperrime prodierunt

CONSTITUTIONES LEONIS XIII

SUPER

IUBILAEO UNIVERSALI ANNI MDCCCC

COLLECTA EDIDIT, QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS ADDITIS
IN COMMODUM PRAESERTIM CONFESSARIORUM

THOMAS ARIZZOLI

Missionarius Apostolicus Imperiali, S. Poenitentiariae officialis.

Ven. lib. 1

apud commentarii VOX URBIS Administratorem.

Pro sociis comm. Vox Urbis Lib. 0,50

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1,10 × 0,24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,
venit singillatim L. 2,50

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

PHILIPPUS VITI EQUES
MARMORARIUS

ROMAE - VIA Alessandrina, N. 51 e 52 - ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA
AEDICULAS

uti patet ex operibus erectis ac refectis
in Basilica Lateranensi,
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,
Eudoxiana, etc.

T. G. Fratrum PARISI
CANDEALARUM AD SACRA OPIFICIUM
PRAEMII INSIGNE

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM

Romae in Italia, in Foro Campi Martii, 6

Singulis in artium
recognitionibus publi-
ce habitis maxima re-
lata munera.

LEO PP. XIII
honores addidit

Lateranensi Archi-
basilicae, itemque Va-
ticanae, quoties de Bea-
tificatione aut de Cano-
nizatione solemne sit,
suppediat.



Praecipua Templia
cereis instruit ubique
terrarum. In Asiam,
Africam et urbem Con-
stantinopolim mittit
ingentia rerum huius-
modi pondera, pretio
francs 190 pro singulis
100 Chilogramm.

Si vero ab America
aut ab Australia petan-
tur onera (300 Chilo-
gramm. ad minimum),
pretium erit francs 225
pro 100 Chilogramm.

Nullo impendio iubentium
res in proximiorem a potentibus designatum portum defertur

Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur

Civis quaerenti explicatio erit uberior.

LE LAUDI LATINE

E
IL CANTICO DEL SOLE

DI
SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praeftiunculam a Paulo Sabatier, viro
rei longe peritissimo, conscriptam, continentur *laudes latine* cum inter-
pretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita,
quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem
proxime ali subsequuntur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* compa-
randam, *Iulius Salvadori*, litteris tradendis doctor egregius, maxima
editit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit
L. 0,50, in pauperum levamen.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRÆSERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE - VIA Sistina, 129 - ROMAE